Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Brevis Tractatio De Ære Alieno In Societate Conjvgali Contracto, Solvendo, Von Bezahlung derer in währender Ehe gemachten Schulden

Tvbingæ: Typis Joh. Heinrici Reisii, 1712

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866246925

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866246925/phys_0001
DFG

K. K. — 2 (11.)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866246925/phys_0002
DFG

1) Lauterbach (Wolfg. Ad.) diss. de aere alieno in societate coniugali contracto, soluendo, von Bezahlung der in währender Ehe gemachten Schulden.
2) Lembke (Jac.) progr. de exceptionibus a reo probandis.
3) Lembke (Jac.) diss. de obsignatione iudiciali, Germ. von der gerichtlichen Versiegelung.
4) Leonhardi (Jo. Christ.) diss. de eo, quod depositario, amisso deposito, salutare est.
5) Leyseri (Aug.) diss. de metatis.
6) Eiusd. diss. de iudice legibus recte mitiore.
7) Eiusd. diss. de potestate iudicis inferioris circa adpellationes.
8) Eiusd. diss. de alienatione rerum ciuitatis.
9) Eiusd. diss. de posthumo anniculo seu duodecimestri.
10) Eiusd. diss. de praesumtione Muciana.
11) Ludekingii (Conr.) diss. de eo quod iustum est circa consensum minoris partis, ut non teneatur stare maiori, nec maior minori praeiudicare valeat, vom Rechte der wenigern Stimmen.
12) a Ludewig (Jo. Petr.) diss. de differentiis iuris Rom. et Germ. in connubiali imperio consensuque parentum.
13) Eiusd. diss. de differentiis iuris Rom. et Germ. in usuris praecipue ultra alterum tantum.
14) Ludovici (Jac. Frid.) diss. de impositione silentii.
15) Eiusd. diss. de iure et iurisprudentia domestica.
16) Eiusd. diss. de facto tutorum a pupillis non praestando.
17) Eiusd. diss. de genuino intellectu brocardici vulgaris: omne iuramentum seruandum esse, quod salva salute aeterna servari possit.
18) Eiusd. diss. de legitimatione ad caussam.
19) Eiusd. diss. de successione coniugis deserentis, von der Erbfolge eines entwichenen Ehegattens.
20) Eiusd. diss. de probabilitate eiusque effectu.
21) Eiusd. diss. de iure retentionis ex diuersa etiam caussa competente.
22) Eiusd. diss. de creditore ad fidem habendam inducto.
23) Lynkeri (Nic. Chph.) diss. de formis procuratoriis.
24) Eiusd. diss. de resistentia quae fit potestati.
25) Eiusd. diss. de absolutoria.
26) Eiusd. commentat. iurid. de fatalibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866246925/phys_0003
DFG

CVM DEO!

BREVIS TRACTATIO

DE

ÆRE ALIENO IN SOCIETATE CONJVGALI CONTRACTO, SOLVENDO,

Von Bezahlung der in währender Ehe gemachten Schulden;

Quam,

Authoritate & Decreto

Magnifici & Amplissimi JCtorum Ordinis,

in florentissima Academia

EBERHARDINA,

DN. WOLFGANG-ADAMO Lauterbach

V. J. D. & P. P.

Pro Honoribus ac Privilegiis

DOCTORALIBVS

in utroque Jure legitimè consequentis,

Ad Diem 9. Julii Anno M DC LXIX.

IN AVLA NOVA,

Publicæ ac solenni ventilationi exponit

JOHANNES GOTHOFREDVS Neuhäuser/

Stuttgardens.

TVBINGÆ,

Typis JOH. HEINRICI REISII. 1712.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1866246925/phys_0006
DFG

I. N. I.

QVàm frequentes in Foro sint lites de Ære Alieno, constante matrimonio, à Conjugibus contracto, solvendo, maximè illis in locis, in quibus inter conjuges etiam bonorum est societas, neminem in Foro versantem ignorare, credimus. Causam hujus mali haut ultimam esse arbitramur, quod multi, licet ultissima & magna universæ Jurisprudentiæ Systemata atque volumina conscripserint, hanc tamen materiam vel plane neglexerint, vel summo tantum digito attigerint, saltem perquam pauca aliorum, maximè Hispanorum, Gallorum & Belgarum JCtorum hac de re tradita referentes; quæ tamen ob varios Gentium mores, & diversas etiam conjugalis societatis species, quæ in illis, & nostris locis obtinent, sæpe lubrica sunt & periculosa. Operæ itaque pretium existimavimus, hanc materiam paulo diligentius considerare, eandemque, secundum vera Legum Romanorum fundamenta, (sine quibus posteriora & nova vix rectè percipiuntur) & noviter constituta (sine quibus illa hic parum proficiunt) examinare. Quamvis autem gravitas hujus materiæ plus temporis, quàm hac vice nobis est concessum, simulque ingenia requirat acutissima

& exercitatissima: quia tamen etiam in magnis aliquid tentare laus est: eapropter hac de materia sequentes meditationes nostras conscripsimus, & nunc publicæ aliorum virorum Eruditorum censuræ subjicimus; officiosè rogantes, ut præmaturum hunc partum benevolè fovere, & accuratioribus suis meditationibus ac scriptis ad perfectionem perducere haut graventur. Hoc etiam ad monentes, nos in hac brevi tractatione principaliter ad Forum Würtembergicum, cum cujus moribus & statutis tamen in hac re multorum aliorum quoq; locorum jura conveniunt, respexisse, ejusdemque jura expendisse. Quod omne, ut cedat in Divini Nominis Gloriam, faxit DEVS TER OPTIMVS, TER MAXIMVS!

CAPUT I.

CONTINENS VOCVM EXPLICATIONEM.

§. I.

1. VOcabulum † ÆS, unde originem trahat, post alios, explicat, Marth. Martin. *in Lexic. Philolog. voc.* Æs. & Christian. Becman. *de origine latin. ling. voc.* Æs.

De voce Æs.

2. Denotat † autem hoc vocabulum, in propria significatione, certam metalli speciem rubri coloris, ab auro, argento, plumbo, ferro atque aliis metallis distincti; vid. Thesaur. *ling. latin. sive for. Roman. voc.* Æs Plin. *lib. 34. c. 1. & 2.*

3. quo † ab initio Romani ad reliquas res æstimandas sunt usi; Ovid. 1. *Fast.*

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est:
Victaque concessit prisca moneta nova.

4. & quidem † primùm gravi & non signato; quod appendebant. Unde in jure nonnulla per æs & libram facta dicuntur: vid. §.

5. *sed ut nihil. 1. J. de testam. ordin. & ibi* Vinn. *num. 3.* postea † verò ut à ponderis molestia liberarentur, signato, & quidem primùm pecu-

pecudum notâ; unde etiam pecunia dicta. Plin. *lib. 18. cap. 3.* vid. Guido Pancirol. *thesaur. var. lect. lib. 2. cap. 156.* Alex. ab Alex. *lib. 4. genial. dier. cap. 15.*

Quamvis † autem, sequentibus temporibus aurea & argentea quoque pecuniâ uti cœperint: Vocabulum tamen Æris retinuerunt, eoque † omnes nummos, etiam argenteos & aureos significarunt. Sic Ulpianus, *etiam aureos nummos æs dicimus*, respondet; *in l. 159. de V. S.* imò † etiam corium forma publica percussum, quod usum numeratæ pecuniæ præstat, quale apud Lacedæmonios fuisse dicitur, hoc vocabulo denotatur. vid. Gœdd. & Alberic. Gentil. *ad d. l. 159. de V. S. n. 3.* Alias, † & metonymicas hujus vocis significationes invenies in Foro Romano, & in aliis Lexic. voc. Æs. 6. 7. 8. 9.

Hoc † in loco æris vocabulo non tantum nummos sive pecuniam numeratam significamus, sed perinde ac voce pecuniæ, alias quoque res, ære sive pecunia numerata æstimandas, intelligimus; quæ lata hujus vocis significatio, nec jure Civili est incognita *vid. l. 8. ff. de acquir. & omitt. hered. l. 165. de V. S.* Alberic. Gentil. *ad l. 213. de V. S. ibi: unde tibi ratio constabit, cur, quod debetur, id æris nomine significatur sive alieni, sive nostri.* 10.

§. II.

Vocabulum † ALIENUM, sicuti & meum, tuum, suum, strictè dicitur ratione dominii vel quasi. *l. 71. & seqq. de leg. 3. l. 27. §. 2. l. 34 pr. de aur. & argent. leg. l. 2. §. 2. l. 12. l. 13. pr. & §. 1. ff de R. C.* Gœdd. *ad l. 91. de V. S. num. 2.* ita ut illud strictè alienum dicatur, quod jure dominii vel quasi ad me non pertinet. *l. 1. ff. de usufr. l. 5. ff. si usufr. pet.* 1. *De Voce alieno.*

Interdum † verò hæ voces latius, anaphoricè & impropriè accipiuntur, ratione juris, quod quis ad rem habet; ita ut meum, tuum & suum etiam dicatur, ad quod consequendum actio competit. *l. 15. de R. J. l. 143. & 213. de V. S. l. 51. de acquir. rer. dom.* Unde † creditor, quando debitum sibi solutum accipit, suum recuperare dicitur; *l. 6. §. 6. quæ in fraud. cred. l. 44. ff. de condict. indeb.* Vid. omnino Dn. J. O. Tabor. *in tr. de alienatione, quæ in mutuo vertitur, Elench. 5. num. 11. & seqq. Elench. 8. num. 3.* 2. 3.

vium. 3. Alienum verò, † quod aliis debemus, licet in noſtro
4. ſit dominio. vid. D. Tabor, *dd. ll.* Carol. Annibal. Fabrot. *in Replicat. adverſ. Salmaſ. de mutui alienation. pag. 104. & ſeqq.* Atque hac ratione ÆS † dicitur ALIENVM, quod nos aliis debe-
5. mus; ÆS SVVM, quod alii nobis debent. *l. 213. de V. S.* Sic Chilonis Lacedæmonii oraculum apud Plinium *lib. 7. cap. 32.* Æris
6. alieni atque litis comitem, miſeriam dicit. Et † quoties voci ÆS *alienum* adjicitur, ſemper eſt æs, quod debemus: ita æs meum alienum, tuum alienum &c. quod ego debeo, quod tu debes, appellatur. Sic Seneca *de rem fort. Æs alienum meum novi; hoc equidem cum meo creditore contraxi.* Et Cicero *ad Attic. lib. 13. 239. 3. Si quid æri meo alieno ſuperabit.* Idem *2. Philipp. 55. Etenim quæ res egeſtati & æri alieno tuo, præter mortem Cæſaris ſubvenire potuiſſent?* Item Ulpianus *in l. 5. §. 10. ibi: ſed ſuum æs alienum ſuſceptum. ff. de jur. dot.* Germanis † dicitur Schuld / ausgehende / bezahlende Schuld. Sicus æs ſuum, Eingehende / Einnehmende Schuld.
7.

§. III.

1. Per Societatem Conjugalem hîc intelligimus non ipſum
De Soc. Societas Conjugalis. matrimonium; cujus intuitu, uxor quandoque ſocia mariti audit; *l. 4. C. de crimin. expil. heredit.* vid. *l. 1. ff. rer. annot. l. 52. ff. de re judic.* ſed † ſocietatem bonorum, quæ noſtris moribus, mul-
2. tis in locis, in & extra Imperium noſtrum, inter Conjuges, eo ipſo contrahitur, quo ipſi matrimonium ineunt; de quo vid. latius *diſp. de ſociet. bonor. conjug. ſub præſidio Domini Præſidis, hîc Tubingæ Anno 1661. habit. §. 1. & 7.*

§. IV.

1. Vocabulum Contractum, in Inſcriptione noſtra poſitum,
De Voce Contractum. hîc non ſtrictè, pro illo ære alieno, quod per contractum propriè dictum, ſive conventionem ex ſe & ſua natura efficacem
2. obligationem producendi validam, eſt factum; ſed † latè accipitur, ita ut omne comprehendat æs alienum ſive debitum, quocunque modo, ſive immediatè ex lege, ſive mediante hominis facto, licito vel illicito, ſit contractum; *vid. l. 20. ff. de judic.* & † æs alienum contrahere hîc idem ſit, ac æs alienum fa-
3. cere

cere, conflare, ære alieno se obligare, Schulden machen. Würtemb. Landr. *p.* 4. *t.* 4. *pr.* & §. 1.

§. V.

Tandem quoque verbum Solvere, in hac tractatione, non 1.
strictè, pro naturali tantùm rei debitæ traditione & præstatione accipitur: sed latè, † ut alios quoque modos, quibus æs alienum dissolvitur, & debitor ab illo liberator, comprehendat. Hisce præmissis ad ipsius rei tractationem progressum facimus. Cum autem hîc agamus de ÆRE ALIENO in Societate conjugali contracto; primo omnium erit demonstrandum, quodnam Æs alienum in dicta societate dicatur contractum. *De verbo Solvere.* 2.

CAPUT II.

EXPLICANS, QVODNAM ÆS ALIENVM IN SOCIETATE CONIVGALI DICATVR CONTRACTVM.

§. VI.

Dicitur autem Æs Alienum, in Societate Conjugali con- 1.
tractum, quod Conjuges, contractâ bonorum Societate, eaque durante, aliis debere cœperunt. Primò † itaque ad hoc requiritur, ut inter conjuges non tantum vitæ societas, vid. *l.* 1. *ff. rer. annotar. l.* 52. *ff. de re judic.* sed etiam bonorum sit contracta. *Generalis hujus æris alieni descriptio.* 2.

Generaliter † quidem inscribitur titulus Juris Provincialis Würtembergici, in quo de hujusmodi agitur ære alieno: Von bezahlung derer in währender Ehe gemachten Schulden. *p.* 4. *t.* 4. 3.

Verùm † cum in hoc Würtembergico Ducatu, sicuti multis aliis in locis, regulariter omnes conjuges, eo ipso, quo matrimonium ineunt, simul tacitè etiam bonorum Societatem contrahant vid. W. Landr. *part.* 3. *tit.* 7. §. wann Eheleut. *p.* 350. illaque tam diu duret, quam diu ipsum durat matrimonium; ita ut, quæ à 4.

Conjugibus durante matrimonio fiunt, regulariter etiam in ſocietate bonorum conjugali rectè dicantur fieri; proinde in noſtro patrio jure ipſa quoque bonorum ſocietas conjugalis, dictis vocabulis denotatur & comprehenditur. *d. tit. 4. pr. & ſeqq. §§. d. §.* wann Eheleut. *p. 350.*

§. VII.

1. De Ære alieno in matrimonio, ſed non in ſocietate bonorum conjugali contracto.

Ex hoc primo requiſito apparet. I. ad noſtram tractationem non pertinere æs alienum à conjugibus in matrimonio quidem, ſed non in ſocietate bonorum contractum; Si ſcilicet inter conjuges nulla vera bonorum eſt ſocietas.

2. Licet † enim hodie in Hiſpania, Gallia, Belgia, Dania & Germanias, multis in locis, conjuges, eo ipſo, quo vitæ & perſonarum Societatem ineunt, ſimul tacitè bonorum quoque communionem & ſocietatem contrahant, uti videre eſt in *ſupra citata diſp. de conjug. bonor. ſocietat. hîc Tübingæ habita. cap. 2. §. 7.* attamen hæc † ipſa non ubique locorum eſt recepta: vid. David. Mev. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 106.* ſed multis in Provinciis & Civitatibus etiam imperii noſtri, hac in re obſervatur Jus *3.* Civile Romanorum; quo † inter Conjuges præter promiſcuum rerum uſum, ſine expreſſa conventione, nulla eſt vera bonorum ſocietas *arg. l. 19. §. 1. de pecul. l. 3. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 6. C. eod. l. f. C. de pact. convent.* Garſias *de conjug. acq. num. 31.* Covarruv. *de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1.*

4. Hujusmodi itaque in locis, ſi à conjugibus durante matrimonio, æs alienum fuerit contractum, quoad illud exſolvendum, non jus, quod hic explicamus, ſed commune erit obſervandum, ita ut quilibet conjugum ſuum æs alienum exſolvere, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito teneatur; *l. 1. C. 5. neux. pro marit.* adeo, † ut, licet maritus & uxor in eodem inſtrumento, tanquam duo rei debendi ſeſe principaliter obligaverint uxoris tamen obligatio ipſo jure ſit nulla; *auth. ſi qua mulier C. ad SCt. vellejan. ibi:* Brunnem. Barbos. Richter. & Dd. communiter. Gail. 2. *obſerv. 89.* ibi Græv. Chriſtin. *vol. 5. dec. 187.* Carpz. *l. 2. Reſponſ. 75.* Joach. Wibel. *tract. de contract. Mulier. c. 5. num. 43.* *7.* *& ſeqq.* Berlich. *part. 1. concl. 19. num. 59. & ſeqq.* niſi † pecu-

nia

nia in utilitatem uxoris versa probetur. *d. auth. si qua mulier. & citati Dd. dd. ll.* vel† aliud in loco illo consuetudine sic receptum, aut lege vel statuto sancitum. Statuta † enim, ut uxor de ære alieno, constante matrimonio, contracto, vel etiam pro marito teneatur, valere, post multos à se allegatos Dd. tradit Mynsing. *cent. 1. observ. 29.* Joan. Francisc. Balthasar *part. 1. pract. Resol. tit. 1. Resol. 10. num. 6.* Color. 1. *decis.* 31. ubi Coloniæ & Noribergæ talem consuetudinem vigere *in fin. refert.* Brunnem. *ad l. 1. C. ne ux. pro marit.* Gail. *2. obs.* 90. *num.* 1. Paul. Christinæ, *vol. 3. decis. 17. num. 1.* 8. 9.

§. VIII.

Quæ in præcedenti §. sunt dicta, locum habent, licet conjuges, inter quos nulla est bonorum societas, eo in loco, in quo viget ejusmodi conjugalis bonorum societas, æs alienum contraxerint; Christian Rodenburg. *de jure, quod oritur ex statut. diversitat. tit. 3. cap. 1. num. 1. pag. mihi. 128. & seq.* Dn. David. Mevius *ad Jus Lubec. quæst. prælim. 4. num. 19. & seq. ubi ita judicatum esse refert.* ipsiqne † ibidem bona possideant. Nam tum dicendum est, contrahentes eo ipso, quod coierunt in leges loci communionem respuentes, eandem nullibi contractam, sed ubique excluſam esse voluisse. Christian Rodenburg. *d. tr. tit. 2. cap. 5. num. 15. pag. 89.* Neque † statuto introduci posse, ut uxor forensis, quæ in loco domicilii pro marito, secundum juris communis dispositionem, non tenetur, ex contractu mariti, in loco, ubi aliud jus obtinet, contrahentis, etiam obligetur, defendit. Dn. David. Mevius *tr. arrest. c. 9. num. 21. & seq.* 1. 2. 3.

§. IX.

Ex dicto primo requisito II. apparet, ad nostram tractationem etiam non pertinere æs alienum, constante matrimonio, & in illo quidem loco contractum, in quo est inter conjuges bonorum societas, si tamen pactis dotalibus vel nuptialibus hoc est actum, ne inter illos bonorum sit societas. v. gr. si hoc † est conventum, ut marito mortuo, uxor allata sua auferre, & ex bonis mariti certam rem vel pecuniæ summam accipere, de rebus verò constante matrimonio acquisitis, retinere debeat nihil 1. 2.

hil. Hujusmodi † enim in casu inter conjuges nulla est bonorum societas; quippe ne subsistere nequit sine socialis lucri
4. communicatione. *l.29.§.f.ff pro soc.* Rem † autem vel certam pecuniæ summam, in hoc casu, uxor consequitur non jure societatis, sed ex bonis mariti jure donationis. Hujusmodi † itaque
5. in casu, ubi pacto impeditur conjugalis bonorum societas, ratione æris alieni constante matrimonio contracti, etiam in foro Würtembergico, & aliis similibus in locis, jus commune e-
6. rit observandum; ita † ut licet uxor & maritus sese in uno instrumento alteri obligaverint, uxoris tamen obligatio, versione in rem uxoris non probata, ipso jure nulla sit, secundum auth. si qua mulier. *C. ad SCt. Vellejan.* Joh. Grivell. *decis. Dolos.* 20. *& seqq.* etiamsi debitum ob familiæ onera & commoda sit factum.

7. Valere † enim ejusmodi pactum, ne societas bonorum, quæ aliàs inter conjuges ibi locorum obtinet, contrahatur, constat ex §. wann Eheleut. *part.3.tit.7.* W. Landr. *p.350.* & ex iis, quæ habentur *in supra allegata disp. de societ. bonor. conjug. cap.2.§.24. & cap.6.§.1.* vid. etiam Nicol. Henel. *tr. de jur. dotal. in mantissa de communione bonorum inter conjuges. in fin. 508. & seq.* Besold. *ad J.P.W. disp.3.th.54.* Mev. *ad Jus Lubec. part.2.tit.2. art.12. num.127. & seq.*

§. X.

1. Porrò & III. per dictum primum requisitum removetur ab hac tractatione æs alienum ante illam bonorum Societatem contractum, die zugebrachte Schulden. vid. Jus provinc. Würt. *part.4.tit.4.§.1. & seqq.* Hujusmodi † enim æs alienum, sive debita à maritò, vel uxore in hanc societatem allata, ex illius bonis, qui ille attulit, sunt solvenda; etiam illis in locis, in quibus conjuges jure societatis communia habent bona *arg. l.12.ff. pro soc. arg. d. §.1. & seqq. Jur. Provinc. Würtemb.* Petr. Sanz. *de bonor. divis. lib.2. cap.12. num.10.* Gutierez. *lib. 2. quæst. pract.128. num. ult.* Al-
3. phons. de Azevedo, *Consil. 38. num.1.* nisi † universalis, & in specie omnium bonorum inter conjuges obtineat societas; in qua omne æs alienum, etiam ante societatem contractum; & in societatem illatum ex communi societatis arca est sol-

De ære alieno ante conjugalem societatem.

solvendum. Sicuti † enim in hac universali societata, omnes res, quæ coëuntium sunt, continuò communicantur, etiam sine veræ traditione: *l. 1. §. 1. & l. 2. ff. pro soc.* ita æquum † est, onera debitorum quoque communia fieri; præsertim cum bona non dicantur, nisi quæ, deducto ære alieno, super sunt. *l. signatum 39. §. 1. de V. S.* vid. omnino Lambert Goris *in advers. jur. tract. 1. cap. 4. num. 1. & seqq. maximè num. 14.* ubi scribit: *Prosequendo porrò materiam nostram, constat ex supra dictis, communicari inter conjuges debita non solum, quæ durante matrimonio uterque, sed etiam qua alteruter eorum longe ante contraxit. Hinc soluto conjugio, superstes ex communibus bonis, de singulis debitis satisfacere tenebitur creditoribus, non habita ratione temporis, quo contracta fuerint, ita ut tum idem superstes, tum defuncti heredes, dimidium quisque ferant. Atque ita cessabit moribus nostris omnis illa argumentatio, quod cum superstite neque contractum neque quasi contractum sit; & consequenter ex debito matrimonium præcedente, actio ad agendum efficax adversus eundem non competat: item quod tempore contracti æris alieni, nulla fuerit conjugi potestas, obligandi conjugem futurum. Oportet enim hoc casu identidem recurrere ad universalem illam omnium tum commodorum tum incommodorum communionem consuetudine patriæ introductam, quæ tantæ efficaciæ habetur, ut reino utrumque obliget conjugem, ac soluto matrimonio & in lucro, & in damno æquales faciat partes, nisi pactis antenuptialibus contrarium convenerit.* 4. 5.

De † jure quoque Civili datur casus singularis, quo mariti bona tacitè obligantur, ob æs alienum ab uxore in matrimonium allatum, nimirum in *l. pen. C. quib. in caus. pign. tacit. contrahitur.* de quo ibidem Brunnem. *Gail. 2. obs. 90.* Tuld. *in Cod. tit. ne ux. pro marit. num. 3.* vid. Joh. Francisc. Balthasar. *part. 1. pract. resol. tit. 1. Resol. 10. num. 2. & seqq.* ubi plures tradit casus exceptos. 6.

§. X.

Æs autem alienum ante nostram societatem conjugalem censetur contractum, & à nostra tractatione est removendum, etiamsi contractum fuerit post sponsalia de præsenti publica, 1. *Sed post sponsalia contracta.*

ante tamen benedictionem Sacerdotalem *arg.* §. 1. *& seqq. Jur.*
2. *Prov. Würt. p. 4. tit. 4.* Hodie † enim in ipsa demum sacerdotali benedictione verus matrimonialis consensus declaratur, eoque matrimonium contrahitur. vid. Besold. *vol. 4. Consil. 237. &*
3. *247.* Goris *in adversar. jur. tr. 1. cap. 2. num. 7.* Ubi autem non est matrimonium, ibi non est conjugalis bonorum societas; & per consequens, nec æs alienum ibidem contractum dici potest in hujusmodi societate contractum.

4. Hinc † si sponsus vel sponsa munera emerer sponsæ & sponso suo offerenda, pretium verò ante sacerdotalem benedictionem non solveret, hoc quoque æs alienum, non ad nostrum, sed ad æs alienum à sponso vel sponsa illatum, zu den zugebrachten Schulden/pertineret. vid. Lopez *de lucr. marit. & uxor, cap. 6, num. 1. 2. & 5.* Gars *de acquæst. conjug. num. 52. & seqq.*

5. Neque † aliud dicendum putamus, licet sponsalibus de præsenti carnalis accesserit copula; per ea, quæ tradit Gutierez *de matrim. cap. 40. num. 11. & seqq. & cap. 70.* Zœs. *in Comm. π. tit. de sponsal. num. 4.* Trentacinq. *lib. 3. tit. de matrim. Resol. 1. num. 1.* Basil. Pont. *de matrim. lib. 5. cap. 22. num. 1.* Mævius *ad Jus Lubecens. part. 2. art 12. num. 283. & seqq.* Besold. *vol. 4. consil. 237. & Cons. 147. num. ult. & in thesaur. Pract. voc.* Beth / das Beth beschreiten.
6. *vers. inde quæritur.* aut † per sponsum vel sponsam steterit, quo minus promissum matrimonium dicto die contractum fuerit *arg.* § wann Eheleut. *part. 3. tit. 7. Rubr. & pr. part. 4. tit. 4. p. 437.* W. Landr. vid. tamen §. Jedoch dazwischen *part. 4. tit. 2.* W. Landr. *pag. 431. & seq.* Plebst. *disp. 4. ad J. P. W. thes. 7.* Mevius *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 272. & seqq.*

§. XII.

1. Ex quo verò tempore conjugalis bonorum societas incipiat, an statim ex momento matrimonii contracti, post sacerdotalem benedictionem; an verò adhuc aliud quid necessarium sit, hic quoq; explicandum venit. Quibusdam † in locis, ut nostra societas dicatur contracta, requiritur consummatum matrimonium, aut ad minimum ingressus thori conjugalis, daß die Eheleut / nach gehaltenem Kirchgang / auch zu ehelichem Beylager kom-

Ex quo tempore hæc conjugalis Societas incipiat.
2.

kommen/und die Deckin sie beschlagen habe. Sic † in Lusitania, conjugum bona non prius sunt communia, quàm matrimonium per copulam sit consummatum, referente Molin. *d. I. & I. tom. 2. disp. 422. n. 3.* De moribus † Frisiæ scribit Jean à Sande. *lib. 2. tit. 5. def. 1. in fin. Hanc societatem seu communionem introducit non matrimonium nudo consensu perfectum, sed concubitu consummatum: quia consuetudo nostra in communicatione quæsitorum, industriam & laborem utriusque conjugis respicit potius, quam matrimonium per se.* Idem † tradit de moribus Urbis Ultrajectensis, Lambert Goris. *in adversar. jur. tract. 1. cap. 2. num. 1.* 3. 4. 5.

Alibi † ut inter conjuges bonorum societas tacitè videatur contracta, desiderant annuam illorum cohabitationem & convictum; quod de moribus Ducatus Britanniæ, ex aliis, refert Goris *d. cap. 2. num. 2.* vid. Nicol. Valla *tr. de reb. dub. tract. 3. n. 6. in fin.* vid. etiam Henel. *in mantiss. de bonor. communion. tr. de jur. dotal.* 6.

Ubicunque † verò nihil tale statuto reperitur constitutum, vel consuetudine receptum, ibi conjugalem bonorum societatem moribus receptam, vel statuto introductam, statim ex tempore contracti matrimonii initium sumere existimamus; ita ut quamprimum coram sacerdote, personæ desponsatæ, conjugali consensu, jus corporum, ad usum matrimonii sibi invicem communicaverint, atque à ministro verbi mulier viro rite copulata & tradita fuerit, simul etiam tacitè in bonorum communionem & societatem consensisse videantur; qui ipse tacitus illorum consensus sufficit ad societatem, tanquam contractum consensualem, contrahendam & perficiendam. *arg. l. 4. ff. pro soc.* Atque † hoc etiam moribus Comitatus Hollandiæ, Civitatis Noviomagensis, Parisiensis, Pictavensis, Nivernensis, Turonensis, Melodunensis, Leonensis, aliorumque locorum observari, ex aliis refert. Goris *d. cap. 2. num. 3. & seqq.* 7. 8.

§. XIII.

In nostro Würtembergico Ducatu, quid hac de re dicendum sit, dubium facit textus in Jure Prov. Würtemb. *part. 4. tit. 2. in pr.* 1. *In Ducatu Würtembergico.*

in pr. ubi dicitur, quod ea, quæ de Conjugibus in Jure Prov. Würtemb. legantur disposita, intelligi debeant de illis tantum, so nach gehaltenem Kirchgang allbereit zu Ehelichem Beylager kommen/und die Deckin beschlagen. vel uti *in seq.* §. dicitur: So die Deckin beschlagen/und zur ehelichen Beywohnung kommen. vid.
2. Besold. *ad J. P. W. disp. 4. thes. 6.* ubi monet, † dicta verba, non de concucitu carnali, sed tantum de solenni more in fine primi diei nuptiarum usitato, sive de ingressu thori conjugalis, intelligenda esse. vid. Plebst. *ad J. P. W. disp. 4. ch. 6.* ibi: *si in lectum alterius conjugis ductus ductave fuerit*; Carpz. *J. F. part. 3. const. 19. def.*
3. 4. Unde † etiam æs alienum à marito & uxore post sacerdotalem benedictionem, ante consensionem thalami contractum, non videtur contractum in societate bonorum conjugali.

4. Hisce † tamen non obstantibus, re penitius considerata, contrarium verius esse putamus, nimirum in hoc Ducatu Würtembergico, societatem bonorum conjugalem, statim extempore matrimonii coram sacerdote perfecti, simul contractam & initam esse, & æs alienum postea, etiam ante ingressum thori conjugalis, contractum, recte in hac societate bonorum
5. conjugali contractum dici; idque † primò per ea, quæ in proximè præcedenti §. sunt dicta; & quia contrarium rationę hujus societatis, in jure Würtembergico non reperitur constitutum, neque juris Würtembergici interpretes quicquam de contra-
6. ria referunt consuetudine. Secundò † per textum generalem in *rubr. & seqq.* §. §. W. Landr. *p. 4. tit. 4. ibi:* die in währender Ehe
7. gemachten Schulden. Maximè † verò, & tertiò, per §. wann Eheleut. W. Landr. *part. 3. tit. 7. pag. 350.* ubi dicitur, quod etiam
8. munera † nuptialia, die Hochzeit-Geschencke und Verehrungen/ quæ plerumque ante ingressum thori conjugalis, novis offeruntur Conjugibus, pertineant ad acquæstum conjugalem; qui jure hujus societatis conjugibus est communis, zu den in
9. wehrender Ehe errungenen und gewonnenen Gütern. Si † itaque Conjuges ante consensionem thalami habere possunt conjugalem acquæstum jure societatis comunem, sua sponte sequitur, ante illam etiam hanc societatem fuisse contractam.

Qui-

Quibus † nihil refragatur *tit. 2. part. 4.* Würt. Landr. quippe qui non de hac societate, neque indefinite & in genere, de conjugibus, sed in specie de conjugum successione loquitur, & ad illam ingressum thalami requirit. *ibi:* Was von der Eheleuten Succession in diesem unserm Landrecht geordnet / das soll allein von denen Eheleuten /, so nach gehaltenem Kirchgang ꝛc. verstanden werden. Quia † verò hujusmodi statutum, quo ad hoc, ut conjuges dicantur, requiritur thalami ingressus, juri communi est contrarium, *l. pen. ff. de donat. inter vir. & ux. l. 15. ff. de condit. & demonstr.* sequitur, quod ad alios casus non sit extendendum. Statuta † enim & jura provincialia, juri communi contraria strictè sunt accipienda, & ultra casus, de quibus loquuntur, non extendenda. Carpz. *libr. 6. Respons. 37. num. 7.* Berlich. *part. 1. concl. 13. n. 13.* Unde † etiam ipse Serenissimus Legislator, in *seq.* §. expressè & specialiter addit, quod præcedens dispositio, etiam in successione conjugum conventa, locum habere debeat, qua speciali extensione & dispositione opus haut fuisset, si præcedentem §. generaliter quoad omnia negotia & omnes casus intelligi voluisset. *arg. l. un. C. de thesaur.* 10. 11. 12. 13.

Hinc † nulli dubitamus, si maritus, post sacerdotalem benedictionem, ante conjugalis thori ingressum, ædes emeret, quin illæ utrique conjugum communes fierent, & pretium illarum nondum solutum, recte diceretur æs alienum, in societate bonorum conjugali contractum. Neque † aliud diceremus; si eodem tempore maritus & uxor mutuam pecuniam acciperent, & eodem instrumento, ad illius restitutionem sese obligarent. *arg.* §. Nemlich Würt. Landr. *part. 4. tit. 4. pag. 437.* Ob eandem † causam etiam expensæ ob convivium nuptiale cauponi vel simili debitæ ad hujusmodi æs alienum in societate conjugali contractum erunt referendæ, *arg. d.* §. Wann Eheleut. Würt. Landr. *pag. 350. junct. l. 55. ff. pro soc.* 14. 15. 16.

§. XIV.

Ut æs alienum in societate bonorum Conjugali dicatur contractum, Secundò requiritur, ut eo tempore, quo contractum est. Societas adhuc duraverit, & nondum finita vel soluta fuerit, 1. *Secundum Requisitum.*

fuerit. Würt. Landr. *part. 4. tit. 4. rubr. & seqq. §§. ibi:* in währender Ehe.

2. *De ære alieno post hanc societatem contracto.*

Quo † ipso ab hujus tractationis objecto removentur debita post solutam hanc societatem contracta. Hinc † si, uxore mortuâ, viduus æs alienum contrahit, non in conjugali societate illud factum censetur. Morte † enim unius conjugis, sicuti matrimonium, ita etiam hæc conjugalis solvitur bonorum societas. *arg. l. 4. §. l. l. 59. l. 63. §. 10. ff. pro soc.* Würt. Landr. *pr. part. 4. tit. 4. & §.* Wann Eheleut. *part. 3. tit. 7.* ubi dicitur, quod bona constante matrimonio quæsita, die in währender Ehe errungene und gewonnene Güter/communia esse debeant; quo ipso indicatur, quod ea, quæ non durante, sed soluto demum matrimonio acquiruntur, communia non sint; atq; sic societas bonorum soluta finita sit; ac per † consequens nec æs alienum postea à superstite conjuge contractum, in societate dici poterit factum. vid. Joh. à Sand. *lib. 2. tit. 5. decis. Frisic. def. 9.* ubi scribit: *facit huc, quod à societas lucri & damni, est societas incidens; nam propterea principaliter societas initur matrimonii causa; cessante igitur & dissoluto matrimonio, cessabit quoque societas illa incidens, ac societas ad tempus contracta, post tempus finitur l. 66. §. qui societate ff. pro soc.* Petr. Sanz. *de bonor. divis. l. 2. cap. 12. n. 22. & seqq.*

3.

4.

5.

§. XV.

1. *De debito ob sumptus funeris.*

Ex dictis sponte fluit, quod si conjuge mortuo, superstes, ob sumptus funeris, æs alienum contraxerit, illud quoque, ad æs alienum in societate conjugali contractum, non pertineat; ac perconsequens † nec ex bonis societatis communibus solvendum sit, sed potius ex defuncti propriis præstandum. *arg. l. 14. §. 1. §. 13. ibi: de suo expedit mortuos funerari, & §. ult. l. 16. & seqq. l. 28.*

3. *ff. de religios. & sumt. funer. l. 13. C. de Negot. gest.* quo † etiam videtur facere Würt. Landr. *part. 1. tit. 75. §.* Wann der Schuldner *ibi:* aus seiner Verlassenschafft. *Item §.* Wann nun die Schulden. *ibi:* so zur Zeit des Weibs Absterben verhanden gewesen / und nicht erst hernach zu seinem Vortheil / vom gemeinen Gut gemacht wäre. *& §. seq.* also auch. *& §.* Dann von des Manns *ibi:* gemeiner Haußhaltung/ zur Nothdurfft / Nutzen und guten / oder des einen Ehege-

hegemachs / oder der Kinder Leibs-Kranckheit halben *part. 4. tit. 4.* vid. Dav. Mev. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 161. & seqq.* Hinc † etiam Hector Felicius, *in tr. de societate, cap. 26. num. 20.* 4. expensas, quæ fiunt in socium universalem ægrotantem, ex societate quidem faciendas, ipsum verò mortuum non ex bonis societatis communibus sepeliendum esse, contra Josephum Ludov. defendit.

Quibusdam † tamen in locis, ex singulari consuetudine 5. vel dispositione, hanc conjugalem societatem, unius morte non finiri, sed eandem etiam inter superstitem conjugem & defuncti hæredes durare, refert Garsias *de acq. conjug. num. 55. & seqq.* Lopez. *de lucr. mar. & uxor. cap. 6. n. 25. & seq.* L. Goris. *in adversar. jur. tr. 1. cap. 9. num. 3. & seqq.*

§. XVI.

Dictum est Tertio, quod ad æs alienum, de quo hic agimus, requiratur, ut Conjuges durante conjugali societate illud debere cœperint; Cœpisse † autem eo tempore dicuntur, non tantum debita pure, sed etiam in diem, & sub conditione, in matrimonio contracta, etiamsi post societatem demum solutam, dies venerit & conditio extiterit. Licet † enim debitum in diem contractum, ante diem peti non possit; & pendente conditione, neque venerit, neque cesserit dies, atque obligatio nondum sit nata: *l. 213. d. V. S.* quia † tamen dies obligationem & actionem non suspendit; & † ex conditionali quoq; promissione creditori spes debitum iri radicata est quæsita; quæ eidem invito auferri nequit; atque conditio postea existens retrotrahitur ad tempus promissionis; *l. 11. §. 2. qui pot. in pign. l. 8. §. quod si ff. de peric. & commod. rei vend. l. 16. ff. de solut. l. 78. pr. de V. O.* Brussel. *de condition. lib. 2. tit. 3. num. 15.* eapropter † hujusmodi quoque 6. debita rectè dicuntur in societate conjugali contracta. *arg. l. 17. & 28. ff. pro soc. l. 26. ff. de stipul. servor.* modo † conditio non a debitoris voluntate & potestate dependeat: ut si maritus constante matrimonio fundum vel aliam rem emerit, & pretium promiserit, sub hac conditione, si illa intra duos menses eidem placuerit. *§. p. I. de empt. & pend.* atq; interea tēporis uxor mortua 7. fuerit,

1. *Tertium Requisitum.*

2. *De debito in diem vel sub conditione.*

3.

4.

5.

fuerit, & maritus postea demum rem illam approbaverit. Hujusmodi enim in casu, conditio non retrotrahitur, sed ipse emptionis contractus, post solutam demum societatem, initus censetur; & per consequens neque res illa ac quæstui conjugali cedit, neque pretium promissum ad æs alienum in societate contractum pertinet. *arg. l. 9. §. 1. ff. qui potior. in pign.*

8. Idem dicendum, † si ante matrimonium maritus aliquid sub conditione emisset, & conditio post matrimonium contractum extitisset; ita ut si conditio illa potestativa, ad tempus existentis conditionis sit respiciendum; si verò non potestativa, tempus conventionis sit considerandum, atque res inde quæsita, & æs alienum inde contractum, ad allata pertineat *arg. dd. ll.* Nicoll. Valla *de reb. dub. tract. 13. num. 4.* Joan. à Sand. *libr. 2. tit. 5. def. 3. vers. similiter si ante matrimonium.* vid. Brussel, *de condit. lib. 2. tit. 3. num. 15. & 16.*

CAPUT III.

De

HUJUS ÆRIS ALIENI DIVISIONE, IN SOCIALE ET NON SOCIALE.

§. XVII.

1. ÆS alienum, de quo hic agimus, in varias potest dividi spe-
2. cies. Illa † ad nostram pertinet tractationem, qua in so-
3. ciale & non sociale dividitur. Sicuti † enim non omnia, quæ
4. sunt in Territorio, etiam sunt de Territorio; non omnes, qui
5. sunt in servitute, etiam servi sunt; nec omnes, qui sunt in pos-
sessione, possident; ita † nec omne æs alienum in societate bo-
Æs alienum sociale quid. norum conjugali à conjugibus contractum, est sociale.

Primum ejus requisitum. Est † autem Æs alienum sociale, conjugale scilicet, quod in societate bonorum conjugali, à conjugibus, hujus so-
6. cietatis gratia est contractum. Primò † itaque requiritur,

tur, ut æs alienum in societate sit contractum, de quo in præcedenti capite actum. Si † itaque, uxore vel marito mortuo, atque sic finita hac bonorum societate, superstes, ob res adhuc communes conservandas, æs alienum contrahit, licet illud ex communibus bonis refundendum sit, propriè tamen sociale non est; *arg. l. 65. §. 13. ff. pro soc.* ubi Paulus JCtus respondet: *Si post distractam societatem aliquis, in rem communem impenderit Socius, actione pro Socio id non consequitur: quia non est verum pro Socio communiterve id gestum esse, sed communi dividundo judicio, hujus quoque rei ratio habebitur, nam, etsi distracta esset societas, nihilominus divisio rerum supereſt.* 1.

§. XVIII.

Secundò requiritur ad hujusmodi æs alienum sociale, ut à conjugibus, hujus Societatis gratia sit contractum, *arg. l. 12. ff. pro soc.* non obstante *l. 27. ff. pro soc.* quæ † ex *d. l. 12.* est explicanda. Gabriel. Mudæ. *ad d. l. 27. num. 2.* Anton. Mornac. *ad d. l. 27.* ibi: *Hoc intellige, dummodo in societatis causam contractum sit. arg. l. pro socio arbiter §. in fin. eod.* 1. *Secundum requisitum.* 2.

Hujus † autem societatis gratia æs alienum dicitur contractum, quod factum est ob causam ad hanc societatem pertinentem, nimirum vel ob hujus societatis utilitatem, vel ob onus, quod eidem incumbit, præstandum sive avertendum. vid. Würt. Landr. *part. 4. tit. 4. §.* Da nun. *ibi:* Gemeiner Haußhaltung zu Nothdurfft/Nutzen und Guten. 3. *Quodnam æs alienum societatis gratia dicatur contractum.*

Societatis itaque gratia I. dicitur contractum debitum, quod ob utilitatem societatis est factum. Cum † autem hic non agatur de universali, & in specie omnium bonorum societate, quæ quibusdam in locis etiam inter conjuges est usitata, sed principaliter de illa tantum, quæ bonorum dicitur, & in Ducatu Würtembergiæ, aliisq; quam plurimis in locis inter conjuges, secundum illorum locorum mores & leges, tacite censetur intra, proinde † non omne æs alienum, propter quod ad conjuges, maritum scilicet, vel uxorem, aliquod venit lucrum, ob utilitatem societatis dicitur contractum. In hac † enim societate, 4. *I. Ob societatis utilitatem.* 5. 6. 7.

non omnia bona, etiam constante matrimonio quæsita, societati cedunt, & communia fiunt: sed ea tantum, quæ ex quæstu & negotiatione veniunt, ac conjuges suâ operâ, industria & solertia acquirunt, atque principaliter in causam & utilitatem familiæ suæ & hujus societatis accipiunt, was sie errungen und gewonnen. *l. 7. & seqq. ff. pro soc.* Würt. Landr. *part. 3. tit. 7. §.* Wann Eheleut. *pag. 350. & part. 4. tit. 4. §.* Wann nun. *& seq. pag. 438. & seqq.* vid. Joan. Lopez. *tr. de lucr. marit. & uxor. cap. 9. num. 63.* Jacob Schultes, *quæst. 14. num. 20.* Boer. *ad Consuet. Bituricens. tit. 8. des mariages §. 2. vers. & dicuntur conquesti.* Unde † etiam ob hujus societatis utilitatem, illud tantùm æs alienum dicitur contractum, quod ex hujusmodi causa venit, cujus commodum principale societati cedit, & ad conjugale pertinet lucrum: v. gr. † Si maritus & uxor ædes, vel alias res, in communem familiæ usum & utilitatem emunt, pretium inde debitum, rectè sociale dicitur æs alienum; quia ædes illæ, & similes res emptæ, utrique conjugum communes fiunt, & ad acquæstum conjugalem pertinent *arg. l. 7. ff. pro soc.* Petr. Sanz. *de bon. divis. 2. cap. 11. num. 4.* Idem † dicendum, si ædes vel alias res conduxerint; quia commodum inde proveniens societati cedit, & utrique commune est; unde etiam merces inde debita, ad socialia pertinet debita. vid. Sanz. *d. lib. 2. cap. 12. num. 18.*

§. XIX.

De pretio emptæ bibliothecæ adhuc debito.

Si constante matrimonio ad usum mariti literati bibliotheca emitur, an illius quoq; pretium adhuc debitum, æri alieno conjugali annumerandum sit, non omnia caret dubio. Primo † intuitu hoc propterea negandum videtur, quod hæc bibliotheca comparetur non in communem familiæ, sed mariti tantum usum; illaque non ad acquæstum conjugalem, sed ad mariti præcipuum, zu des Manns Voraus pertineat Würt. Landr. *part. 4. tit. 4. §.* Wann nun.

Hisce † tamen non obstantibus, verius esse putamus, etiam bibliothecæ constante matrimonio emptæ pretium adhuc debitum, sociale æs alienum esse; quia † illa quoque utrique conjugum acquiritur; & ad conjugalem acquæstum refertur, atque,

que, marito præmoriente, inter uxorem & mariti heredes æqualiter dividitur. *arg. l. 7. ff. pro soc. &* §. Wann Eheleut. Würt. Landr. *part. 3. tit. 7. pag. 350. junct.* §. Wann nun. *part. 4. tit. 4.*

Et † quamvis solus maritus libris illis, tanquam artis & professionis suæ instrumentis utatur: facit tamen hoc in comunem familiæ & societatis utilitatem, ita ut quicquid illis acquirat, etiam ad acquæstum conjugalem pertineat. Neque † ut debitum sociale dicatur, necessarium est, ut eo, quod ex illius causa quæsitum, uterque conjugum, maritus ex uxor, constante matrimonio, utantur. *arg.* Würt. Landr. *part. 4. tit. 4.* §. Dann. *& seqq. pag. 439. & seqq.* sed † sufficit, si ad acquæstum conjugalem pertineat, & omne ejus lucrum atque commodum societati cedat. Sic † si maritus rusticus instrumenta ad agriculturam necessaria, item equos vel boves constante matrimonio emit, quamvis ipse iis tantum utatur, quin tamen instrumenta & animalia illa empta ad acqnæstum pertineant, & pretium illorum adhuc debitum, sociale sit æs alienum, nulli dubitamus; Etiamsi † ex illis quoque uxore præmortua, maritus quædam præcipiat, & quædam ex illis ad ejusdem præcipuum pertineant; hoc siquidem fit ex singulari & speciali jure, & non impedit, quo minus æs alienum ex ejusmodi causa, qua res ad præcipuum mariti pertinens quæritur, contractum, rectè dicatur sociale æs alienum. vid. Besold. *ad 7. P. IV. disp. 4. th. 16.* ubi † etiam pretium equorum, quos maritus præcipui loco accipit, tanquam commune debitum, ex acquæstu, vel utriusque conjugum bonis solvendum esse docet. §. XX.

5. 6. 7. 8. 9. 10.

Idem dicendum, si constante matrimonio conjuges emissent catenas aureas, armillas, margaritas & similia ornamenta muliebria, ad uxoris præcipuum pertinentia, & illorum pretium adhuc deberetur; quod scilicet hoc quoque pertineat ad æs alienum sociale. Licet † enim sola uxor iisdem utatur, & sese exornare soleat, vid. *l. 25. §. 10. ff. de aur. & argent. legat.* neq; hisce mediantibus societati aliquid acquiratur, uti libris mariti: quia † tamen etiam hæc ornamenta muliebria constante matrimonio compara ad acquæstū pertinent conjugalem, & uxore præmo-

1. *De pretio ornamentorum muliebrium adhuc debito.* 2. 3.

 riente

riente, tanquam acquæstus conjugalis, inter maritum & uxoris heredes dividuntur; ac uxor constante matrimonio illis utitur etiam in mariti honorem. *arg. l. 5. §. 10. Commodat.* vid. David. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 4. num. 44. & seqq.* proinde æs alienum, ex causa emptionis dictorum ornamentorum proveniens, optimo jure sociale dicitur.

§. XXI.

1. *De expensis fructuum.* Ad hanc classem pertinent etiam debita ob expensas fructuum colligendorum gratia factus; idque sine distinctione, sive factæ sint in prædia communia, sive mariti vel uxoris propria. 2. Licet enim in hac † conjugali bonorum societate, in hoc Ducatu Würtembergico, & aliis quàm pluribus in locis usitata, bona conjugum in societatem illata, & constante matrimonio proprio jure sibi quæsita, jure dominii non communicentur, sed illorum propria sint & maneant: Würt. Landr. *part. 2. tit. 29.* §. Ferner wollen. *part. 4. tit. 3.* §. im Fall. *tit. 4. rubr.* von des Manns Voraus. *p. 438. & seqq. & §§. seqq.* Jac. Schultes. *1. quæst. 14. num. 18.* 3. Joan. à Sande. *lib. 2. Decis. Frisic. tit. 5. def. 8.* Fructus † tamen ex illis percepti omnes ad conjugalem pertinent acquæstum. Lopez. *de lucr. marit. & uxor. cap. 6. n. 10. & seqq.* 4. Unde etiam † debita fructum percipiendorum gratia contracta, ut sunt Acker- und Hacker-Schnitter-Fuhr- und Treschерlohn/Herbst-Kosten &c. vid. Hect. Felic. *tr. de societ. cap. 27. num. 43. ibi: ut est arare ligonizare, seminare, mundare & secare frumenta, triturare, mundare fossata, & terras sodaticas ad culturam reducere & similia.* rectè sociali 5. æri alieno annumerantur; maximè † cum fructus non intelligantur, nisi deductis expensis, quæ quærendorum, cogendorum & conservandorum fructuum gratia sunt factæ. *l. 30. §. 5. de hered. petition.*

§. XXII.

1. *Vom Cantzley-Tax.* Si maritus officium aliquod à Serenissimo Principe impetravit, cum salatium & omne inde veniens lucrum conjugali cedat acquæstui, Petr. Sanz. *d. tr. de honor. divis. cap. 11. num. 15.* rectè 2. quoque dicitur, honorarium † Cancellariæ debitum, der Cantzley-Tax/ 3. sociale esse debitum, *arg. l. 55. ff. pro soc.* Licet † enim non

non ipsum officium uxori fiat commune; *arg. l. 2. ff. de R. I.* ob dictam tamen rationem æquum utique erit, hujusmodi honorarium ad sociale æs alienum referre; maximè cum sit modicum, *arg. l. 7. §. hactenus ff. de usufruct.* & facilè fieri possit, ut officium illud non longius duret, quam ipsa societas conjugalis. Cæterum † si mox post officium illud impetratum, diem suum obiret uxor, nullumque aut exiguum lubrum inde perciperet, æquo judicis arbitrio res erit definienda. *arg. l. 6. ff. pro soc.*

§. XXIII.

An verò idem dicendum, si maritus feudum vel prædium emphyteuticarium constante matrimonio sibi acquisiverit, & laudemium (quod hodie multis in locis etiam ex feudo debetur. vid. Frantzk. *de Laudem. cap. 4. num. 14. & seqq.*) pro investitura præstare teneatur, expeditum non videtur. Licet † enim etiam fructus feudi, & prædii emphyteuticarii constante matrimonio marito quæsiti, uxori communicentur: quia † tamen laudemium ipsius feudi & prædii emphyteuticarii acquisitionem respicit, quod in ejus heredes transit; & hoc laudemium, multis in locis non modicum, sed vigesima, imò quibusdam in locis decima pretii pars est, & emtor in singulos centenos quinos vel 10. florenos solvit, von 100. Gulden 10. Gulden. Frantzk. *d. tr. c. 23. n. 14. & seqq.* non audemus hoc simpliciter affirmare, sed hic † quoque inter modicum & magnum distinguendum, & rem prudentis & æqui judicis, arbitrio relinquendam esse existimamus.

1. *De laudemio.*
2.
3.
4.

§. XXIV.

Secundò pertinent ad æs alienum sociale omnia debita propter onera, quæ societati præstanda incumbunt, contracta. Hæc † autem onera vel respiciunt personas vel res. Personas † respicit onus alimenta & vestimenta statui & conditioni convenientia conjugibus, uxori & marito, præstandi. Licet † enim jure communi, hoc, & similia matrimonii atquæ familiæ onera marito tantum incumbant; *l. 7. pr. ff. de jur. dot. l. 65. §. fin. ff. pro soc. l. 22. §. 8. saluto matrim* David Mev. ad Jus Lubec. *libr. 1. tit. 5. art. 42.* ibi: *Et quidem vestimen-*

1. *quodnam æs alienum sit sociale propter societatis onera.*
2.
3. *De alimentis & vestimentis conjugum.*
4.

stimenta & jocalia, quæ in usu quotidiano uxor habuit, aut secundum persona statusve conditionem habere potuit debuitve, retinet & percipit ut sua, licèt maritus de suo dederit, cum ad illo non minus quàm alimenta uxori suæ obligetur. & † in *l. 12. ff. pro soc.* dicatur, quod nullum
5. æs alienum', nisi quod ex quæstu pendet, veniat in rationem
6. societatis simpliciter bonorum: quia † tamen, vi hujus societatis conjugalis, omnia, constante matrimonio, mariti studiis operâ atque industriâ quæsita, omnesque fructus, etiam dotis,
7. uxori communicantur; & hæc † societas non tantum quæstus causa, sed simul matrimonii & familiæ conservandæ gratia est inita; vid. W. Landr. *p. 4. tit. 4. §.* da nun. *& §§. seqq.* ibi: gemeiner Haußhaltung zu Nothdurfft; Zu nothwendiger Ausbringung
8. gemeiner Haußhaltung: ea propter † jure meritoque hujusmodi quoque onera matrimonii & familiæ fiunt communia, & debita illorum causa contracta, referuntur ad æs alienum sociale. *arg. l. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 75. ff. de jur. dot. l. 20. §. 2. l. 46. in fin. ff. famil. erciscund. junct. l. 10. de R. J. l. 52. §. 4. l. 55. pro soc.* Hinc † affirmativè quidem hic procedit argumentum à societate quæstus, sed
9. non negativè, vid. Joan. à Sande. *libr. 2. tit. 5. def. 8. in pr.*

De impensis in curationem conjugum.

10. Unde † etiam ad hujus societatis onera pertinent sumptus in curationem mariti vel uxoris faciendi, v. gr. honoraria medicorum, & pretia medicamentorum, Apothecker Schulden W. Landr. *part. 4. tit. 4. §.* da nun. ibi; oder des einen Ehegemächts Kranckheit halben *& §§. seqq.* Sande *d. l.* vid. Hect. Felic. *tr. de*
11. *societat. cap. 26. num. 6.* ubi habet exceptionem. Quod † secus est in simplici quæstus societate; nisi forte in communi negotio gerendo socius vulneratus sit. *l. 60. §. 1. & l. seq. ff. pro soc.* Joan.
12. à Sande *d. l.* Idem † dicendum de sumptibus puerperii & aliis similibus.

De alimentis & medicamentis liberorum communium.

1. §. XXV.

Eadem ex causa etiam ex bonis hujus societatis, liberi conjugum communes sunt educandi, iisdemque alimenta & sumtus curationis suppeditandi; Unde † debita ob hujusmodi causam contracta, etiã sociali æri alieno annumerantur. vid. W. Landr.

2. *part. 4.*

part. 4. tit. 4. §. da nun. ibi: oder der Kinder Leibs-Kranckheit halben. *& §§. seqq. pag. 439. & seqq.*

Idem † dicendum de aliis liberorum oneribus, quæ jure communi regulariter patri tantum incumbunt, propter societatem verò hanc conjugalem, utrique conjugum communia sunt. Hinc si † debita ob hujusmodi onera fuerint contracta; v. gr. si pro liberis mercedes, ut liberalibus vel aliis artibus instituerentur, præceptoribus & magistris suis, aut pro filiabus dos & filiis donatio propter nuptias promissæ; omnia hujusmodi debita sunt socialia. De † dote & donatione propter nuptias hoc ipsum expresse constitutum est in jure nostro patrio, sequentibus verbis: Wann ein Kind zu seinen Mannbaren Jahren/ und vollkommenen Alter kommen / auch einer eigenen Haußhaltung vorzustehen tauglich/ sollen die Eltern/ (so fern sie noch beede im Leben) schuldig seyn / dasselb mit einem ehrlichen Heyrath getreulich zu versehen/ und mit gebührlichem zu Geld oder Heyrathgut / von ihrem der Elter gemeinem Gut / dero Stand und Vermögen gemäß auszusteuren. Besold. *ad J. P. W. disp. 4. thes. 27.*

3. *De aliis liberorum oneribus.*

4. *De dote & donatione propter nuptias.*

5.

Idem † in aliis quoque locis, ubi similis obtinet societas, observari, tradit, Joan Garsias *de conjug. acquæst. n. 150.* Petr. Sanz. *2. de bon. divis. cap. 17. num. 1. & 2.* Lopez. *tr. de lucr. mar. & ux. cap. 10. num. 8.* ibi: *æquum enim est, ex quo uxori consulitur super bonis acquisitis, ut meditetatem habeat, similiter gravetur in alio, ut dotentur filiæ de communibus,* & paulo post: *Unde est, ex quo lex gravat maritum in hac, quod acquisita per eum dividat cum uxore; æquissimum videtur, quod de istis lucris solvantur dotes filiarum, quamvis ad curam & onus patris spectent: onus enim dotandi occasione matrimonii provenit, exinde filii generantur, & dos & donatio propter nuptias constituitur, & per consequens est debitum contractum constante matrimonio, & occasione matrimonii & societatis, quæ per matrimonium contrahitur, & consequenter de bonis communiter acquisitis solvendum.*

6.

§. XXVI.

1. *Notatur error, qui contra prædicta jura à multis committitur.*

Hic non possumus non notare insignem errorem, quem, contra dictam Juris Würtembergici dispositionem clarissimam, pleri-

plerique familiæ erciscundæ arbitri die theil Richter / committunt, eoque in effectu onus dotandi liberos, iisdemque donationem propter nuptias dandi, in unum, & quidem prius defunctum conjugem, maritum vel uxorem, devolvunt.

1. Ponamus casum, Cajum & Sejam conjuges, singulos 1000. fl. in matrimonium attulisse, & duas filias, Semproniam & Titiam, procreasse, atque Semproniæ, quæ Paulo nupsit, dotem dedisse 500. fl.

2. Uxore † Seja mortua, conficitur inventarium, & bona conjugum, quæ ipsi tempore mortis uxoris possederunt inveniuntur 3000. fl. quibus adduntur 500. fl. quos Sempronia accepit dotis nomine & conferre tenetur ita ut tota substantia sit 3500. fl.

4. Arbitri † familiæ erciscundæ, die Theilrichter/ab hanc summa primum deducunt 2000. fl. allata, Residuum, nim. 1500. fl. est acquæstus conjugalis; cujus dimidia pars, nimirum 750. fl. debetur marito, altera verò dimidia pars, nimirum 750. fl. pertinet ad uxoris hereditatem; quæ consistit in allatis 1000. fl. & hisce acquisitis 750. fl. ita ut ejus summa sit 1750.

5. Hæc † uxoris hereditas dividitur inter ejus viduum ac duas filias, atque singulis tertia pars hereditatis attribuitur, nim. 583. fl. 20. Cr. & hactenus recte.

6. In assignatione † vero & executione, in der Verweisung rem ita dirigunt atque expediunt: Gebühret also in allem dem viduo:

Wegen seines zugebrachtens/ - - -	1000. fl.
Sein halber theil Errungenschafft. - -	750. fl.
Seine von dem Weib ererbte portio. -	583. fl. 20. Kr.

In Summa 2333. fl. 20. Kr. So er aus der verhandenen communi massa zu empfangen.

Der Eltern Tochter Semproniæ gebührt zu ihrer von der Mutter geerbten portion 583. fl. 20. Kr. daran sie empfangen Heurath-Gut 500. fl. restiret ihro annoch ex communi massa zu ersetzen 83. fl. 20. Kr.

Der Titiæ gebührt auch ex communi massa 583. fl. 20. Kr.

7. Atque † sic dota dos Semproniæ data de bonis maternis deducitur, & in effectu, contra dictam juris Würtembergici disposi-

dispositionem, hoc dotis onus in proposito casu in uxorem devolvitur; ac si ipsa sola ad dotem ex suis bonis præstandam obligata fuisset, & eandem quoque præstitisset.

Ad hunc † itaque errorem evitandum & corrigendum, computatio & assignatio ita instituenda: Dem Viduo gebührt zu seinen Zubringen/Errungenschafft/und Erbs portion zusammen 2333. fl. 20. Kr. 8.

Daran er empfangen / so er zu seinem halben Theil der Tochter Semproniæ zum Heyrath-Gut gegeben ——— 250. fl.

Verbleibet ihme annoch ex communi massa zu ersetzen 2083. fl. 20. Kr.

Der Tochter Semproniæ gebührt zu ihrer mütterlichen Erbs-Portion ——— 583. fl. 20. Kr.

Daran sie von ihrer Mutter zu ihrem halben Theil Heurath Gut empfangen. ——— 250. fl.

Restiret ihro annoch ex communi massa – 333. fl. 20. Kr.

Licet † enim Sempronia 500. fl. dotis nomine acceperit; 9.
quia tamen non totam hanc summam à matre & ex bonis maternis accepit, sed tantum dimidiam ejus partem, secundum W. Landr. *part. 4. tit. 13. pr.* alteram verò dimidiam partem à patre; *d. tit. 13. in pr.* eapropter in hac matris successione, ipsa tantum conferre tenetur dimidiam partem, & hæc tantùm eidem ab ejus portione hereditaria materna est deducenda. 10.
Altera verò dimidia dotis pars in future patris successione est conferenda. Indubitati † enim juris est, quod liberi patri vel matri 11.
succedentes, illas tantum dotes conferre teneantur, quas ab illo parentum, cui succedunt, acceperunt; non verò illas, quas alii parentes adhuc viventes iisdem dederunt. *l. 17.* ibi: *ut in dividendis rebus ab intestato defuncti parentis, cujus de hereditate agitur, eadem dos vel ante nuptias donatio ex substantia ejus profecta conferatur. C. de collation,* Carpz. *7. F. part. 3. const. 11. def. 35. n. 11. & seqq.*

Ne † verò quis existimet, nihil interesse, hoc vel illo modo divisio & assignatio instituatur; cum pater habeat usumfructum 12.
in bonis liberorum maternis; sciendum, omnino liberorum interesse. Quid † enim si pater usumfructum amisisset, vel eo- 13.

demindignus esset? vid. W. Landr. *part. 4. tit.* 11. §. wofern aber *& seq. pag.* 464. Secundum priorem computationem Sempronia pleno jure acciperet tantum 83. fl. 20. Cr. sed secundum posteriorem 333. fl. 20. Cr. Præterea † Semproniæ etiam ea ratione interest, majorem summam bonorum maternorum penes patrem habere; quia ipse pater illam consumere prohibetur; & pro illa patris bona omnia eidem tacitè sunt obligata; ita ut, patris creditoribus concurrentibus, Sempronia bona illa materna, 333. florenorum, si adhuc in natura existunt, ante omnes creditores vindicare possit; aut si in quantitate debentur, inter hypothecarios collocetur. vid. W. Landr. *part. 4. tit.* 10. *pag.* 462. *& seqq.* Neque † hoc in casu Semproniæ, dotis pars, quam à patre accepit, deduci potest. *arg. l. 4. C. de collat. ibi: filiæ dotem in medium ita demum conferunt, si succedunt & c. ult. ff. de dot. collat.* Porrò † Sempronia ante patrem moriens, secundum priorem computationem, ultra dotem suam, tantùm de 83. fl. 20. Cr. secundum posteriorem verò de 333. fl. 20. Cr. testari potest W. Landr. *part. 3. tit. 2. §.* und wiewohl *& part. 4. tit.* 15. §. 1. *& ult.*

14. 15. 16.

§. XXVII.

De impensis funerum liberorum.

Ad onera liberorum, quæ, vi societatis nostræ, parentibus, patri & matri simul incumbunt, pertinent etiam expensæ in funus liberorum faciendæ *arg. eorum quæ hactenus dicta junct. l. 20. §. 1. l. 21. l. 28. ff. de religios. & sumpt. funer.* nisi † liberi propria habent bona, unde sepeliri possunt. *arg. l. 16. & seqq. l. 31. ff. d.* 1. De † suo enim expedit mortuos funerari. *l.* 12. §. 3. *in fin. ibi: ne quis de alieno funeretur. l.* 14. §. 3. *vers. de suo, ff. de religios. & sumpt. funer.* vid. Felic. *de societ. cap. 26. n. 20. in fin.*

1. 2. 3.

§. XXVIII.

De oneribus liberorum ex priori matrimonio allatorum.

Quod de oneribus liberorum communium, quos ipsi conjuges socii in eodem matrimonio procrearunt, hactenus dictum, an etiam locum habeat in liberis propriis, quos habet vel maritus, vel uxor, vel uterque ex priori matrimonio, in den zugebrachten Kindern/ nunc erit explicandum.

1.

Si † in pactis dotalibus, hac de re certum quid conventum; (solent enim, ad dissensiones & jurgia avertenda, prudentes

2.

hujus-

hujusmodi pacta haut rarô inter ponere. vid. Joh. à Sommern *tr. de jur. Novercar. cap. 2. num. 3.* Mornac. *ad l. 15. C. de Neg. gest.*) erit illud omnino obſervandum. *arg. l. 34. de R. J.*

Cæterum, † ſi hac de re nullum adeſt pactum, ratione dotis & donationis propter nuptias, Dd. communiter negant; ejus modi onus, ratione liberorum prioris matrimonii, ſocietatis eſſe; docentes, tàm maritum, quàm uxorem liberis ſuis prioris matrimonii, non ex bonis ſocietatis communibus, ſed ex propriis dotem & donationem propter nuptias conſtituere debere; & ſi maritus ejusmodi liberis dotem vel donationem propter nuptias de acquæſtu conjugali dediſſet, uxorem, ſoluta ſocietate, tantumdem ex eo præcipere poſſe. Petr. Santz. *tr. de bon. diviſ. 2. c. 12. num. 13.* Joan. Gutierez. *l. 2. quæſt. pract. 128. n. ult. & ſeq. quæſt. 129.* ubi *ferè in fin.* hanc ſententiam veriſſimam, & tenendam eſſe, ſcribit. Chriſtian. Rodenburg. *tr. de jur. conjug. 1. tit. 2. cap. 2. num. 12. & ſeqq.* Joan. à Sommern. *tr. de jur. noverc. cap. 2. num. 1.* Alphons. de Azevedo *Conſil. 38. num. 2.* vid. omnino Rodenburg. *de jur. conjug. 1. tit. 2. cap. 1. n. 14.* 3. *De illorum dote & donatione propter nuptias.*

Atque † hanc ſententiam etiam in hoc noſtro Ducatu obſervandum eſſe putamus, propter textum in dem Würt. Landr. *part. 4. tit. 13. §. da aber. pag. 469.* ubi dicitur, quod patre vel matre mortua, ſuperſtes liberis ſuis dotem vel donationem propter nuptias dare debeat, vel ex bonis liberorum propriis, ſi quæ habent, vel, illis deficientibus, ex ſuis, patris vel matris propriis, von des Vaters oder der Mutter eignen Gütern. Et hoc generaliter & ſine diſtinctione, an ad ſecunda vota tranſierit, an vero non. Lege itaque non diſtinguente, nec noſtrum eſt diſtinguere, pervulgata. 4.

Si † itaque pater vel mater filio vel filiæ prioris matrimonii dotem promiſit, vel alia ratione ejus nomine æs alienum contraxit, non ſociale, ſed ejusdem eſt proprium. 5.

In † illis vero ſocis, in quibus ſocietas conjugalis eſt in ſpecie omnium bonorum, ſive univerſalis, dotes & donationes propter nuptias, etiam liberis prioris matrimonii ex communibus ſocietatis bonis ſunt præſtandæ, nec illorum parenti, ſed ſocie- 6.

tati imputandæ. *arg. l. 66. l. 73. §. 1. l. 81. in fin. ff. pro soc.* Rodenburg. *d. jur. conjug. 1. tit. 2. cap. 1. num. 12. & 13.* Bach. *ad Tr. vol. 1. disp. 27. th. 8. lit. h.* vid. omnino Hect. Felic. *de Societ. cap. 26. num. 21. & seqq. maxime n. 25. & seqq.*

§. XXIX.

1. De aliis simplibus, sumptibus.

Quod de dote & donatione propter nuptias liberorum prioris matrimonii, dictum, illud etiam verum est in aliis sumptibus in illorum elocationem factis, v. gr. von der Aussteur/ Hochzeit-Kosten (si pater illas expensas fecerit) und dergleichen.

2. Idem † dicendum de subsidiis non modicis, quæ pater vel mater liberis suis prioris matrimonii promittit ad sublevandum illorum familiæ onus, zu einer väterlichen Hülff. vid. Carpz. *p. 2. const. 12. def. 38. & part. 3. const. 11. def. 15.* Mev. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 74. & seqq.*

§. XXX.

1. Q. de subsid. liberis prioris matrimonii dando, & renunciatione usufructus paterni & materni.

An verò pater vel mater, constante secundo matrimonio, liberis prioris matrimonii, qui dotem suam vel donationem propter nuptias acceperunt, de suis propriis bonis in subsidium aliquid assignare vel etiam iisdem bona illorum propria, quorum ipse usum fructum habet, pleno jure tradere, atque sic usufructui suo invita & contradicente uxore secunda, jure & licitè renunciare possit, quæstio est nostræ materiæ valdè affinis; quæ cum haut ita pridem à quodam patre decidenda fuerit proposita; paucis de illa nostram explicabimus sententiam; distinguentes, † an liberi prioris matrimonii aliunde habeant vel habere possint, quo vivant, suamque familiam sustentent; an verò

2. 3. paterno auxilio necessariò indigeant. Posteriori † in casu, hoc ipsum affirmandum, *arg. l. 5. §. 1. & seqq. ff. de alend. & agnosc. lib.*

4. sed in priori illud negandum esse arbitramur. Conjuges † enim illis in locis, ubi viget hujusmodi conjugalis bonorum societas, ab initio tacitè hoc, egisse censentur, ut, vi hujus societatis, etiam bona illorum propria, vel alio jure ad illos pertinentia, quoad fructus in commune quærendos, communicentur, & omnes inde quæsiti fructus utrique conjugum communes fiant,

5. per superius dicta. vid. *l. 12. §. 2. ff. pro soc.* Atqui † socius impedire non

non debet, ne ea re uti liceat, cujus gratia societas contracta est. *arg. l. 15. pro soc.* C. J. A. *d. lib. 21. num. 18.* Et † sicubi maritus vel uxor fructus ex rebus suis constante matrimonio, & durante hac societate, provenientes, invita altera parte, sibi tantum reservare haut potest: *arg.* §. Wann Eheleut. Würt. Landr. *part. 3. tit. 7. pag. 350.* ita nec bona sua donando, vel usufructui renunciando, eosdem aliis licitè concedere poterit, invito conjuge, in ejusdem præjudicium & damnum. *arg. l. 17. pr. l. 44. ff. pro soc.* Quandocunque † enim socius socio suo non præstat id, cujus gratia societas contracta, aut socii sui conditionem facit deteriorem, tenetur eidem societatis judicio. *l. 52.* §. *13. l. 65.* §. *ff. pro soc.* Hinc Joan à Sommern, *tr. de jur. Novercar. cap. 4. num. 2.* scribit: *Et ne quidem in præjudicium novercæ, maritum repudiare posse usumfructum sibi in bonis liberorum prioris matrimonii competentem, ex jure Portug alliæ demonstrat Gabriel. Pereir de Castro. Neque vero extra fraudis suspicionem positus est, qui absque ulla administrationis ratione bona de societate subducit, ne in communionem deducta cum uxore, ejusque heredibus communicentur.* vid. Rodenburg. *de jur. conjug. l. tit. 2. cap. 1. num. 10.* Gutierez. *lib. 2. quæst. pract. 121. & 129.* vid. tamen Franciſc. Salgado, *in labyrinth. credit. concurr. part. 2. cap. 16. num. 47. & seqq.* Cæterùm, † si maritus vel uxor bona nondum acquisivit, sed v. gr. marito, ejusdemque liberis prioris matrimonii, hereditas delata tantum fuit, quin ipse in favorem illorum liberorum, hereditatem illam licite repudiare possit, etiam contradicente secunda uxore, non dubitamus, *arg. l. 16. C. de jur. d. liber. l. 3.* §. *3. ff. de bon. possess. arg. l. 68.* §. *1. ff. pro soc.* vid. Gabriel. Mudæ, *ad d.* §. *1. l. 16.* §. *2.* §. *4. ff. quæ in fraud. credit.* Dn. Wibel. *tr. de contract. mulier. cap. 4. num. 168. & seq.* Franciſc. Salgado, *in labyrinth. creditor. concurr. part. 2. cap. 14. n. 96. & seqq.*

6.

7.

8.

§. XXXI.

De alimentis allatorum liberorum idem, quod de dote & donatione propter nuptias, dicunt plurimi Dd, nimirum illa quoque, liberis prioris matrimonii, ex propriis patris sui, vel matris bonis præstanda; & si ex acquæstu iis aliquid alimentorum nomine

1. *De alimentis liberorum prioris matrimonii*

mine fuerit præstitum; illud alteri conjugum resarciendum esse, uti videre est apud Alphons. Azephedo. *d. consil. 38. num. 3.* Garsias. *de conjug. acquæst. num. 152. ubi hoc vulgatissimum & receptissimum esse scribit.* Gutierez. *d. quæst. 129.* Sanz. *d. cap. 12. num. 14.* & ita judicatum esse, ex Gabriel. Pereira de Castro, refert Joan à Sommern. *d. cap. 2. num. 2. pag. 37.* ubi hæc addit verba: *Apud prædictos Dd. statutum suæ gentis, maxime decisionis suæ causa est; ipsorum enim moribus cautum est, ne debitis ante matrimonium contractis uxor stare teneatur; liberos vero alendi onus, ab ipsa nativitate, & ante-secundum matrimonium, lex & natura patri ipsorum injunxerat, ita ut repetiti matrimonii* (ita enim legendum videtur) *debitum dici non possit.*

2. Alii distinguunt, † an alimenta liberis prioris matrimonii fuerint præstita, in domo & familia conjugum; an verò extra
3. illam: Priori † in casu, scribit Paulus Christinæ. *vol. 3. Dec. 51. num. 8.* tenebitur parens ex communibus bonis ea præstare, tanquam onus ordinarium & domesticum, atque ita supremam
4. curiam Mechlinensium censuisse, ibidem refert. Posteriori † verò in casu, putant, quod pater ejusmodi sumptus possit quidem sumere ex bonis communibus, ita tamen, ut soluto matrimonio, illorum nomine satisfiat uxori, ut scilicet ipsa, vel tantundem ex acquæstu præcipiat; vel illo deficiente, dimidiam ejus partem consequatur ex bonis mariti propriis. vid. Gars. *d. num. 152.*

5. In hac † quæstione, deficientibus pactis, ad cujuscunque lo-
6. ci statuta & mores est respiciendum. *arg. l. 34. de R. J.* Illis † quoque deficientibus, res ex æquitate plenius expendenda, & dicendum; quod, si in secundo matrimonio, communi conjugum consensu, ex paterno & materno affectu, alimenta liberis primi matrimonii fuerint simpliciter præstita, ab illa parte, cujus liberi proprii non sunt, illorum nomine, soluto matrimonio, nulla peti possit compensatio vel satisfactio. *arg. l. 15. C. de neg. gest.* maximè si liberi prioris matrimonii, domestica ministeria in ædibus parentum præstiterint. Mornacius *in dict. l. 15. C.* vid. Joan à Sommern *de jur. Noverc. cap. 2. num. 2. pag. 34.*

Si verò

Si verò † hoc sponte non facerent conjuges, sed vitricus vel noverca, liberos prioris matrimonii ex bonis societatis alendos, & hoc onus societatis esse, negaret; tunc † videndum, an liberi illi habeant propria bona, quibus illi sese exhibere, aut arte vel alio honesto & decenti modo sese possint alere; an verò aliunde alimenta consequi non possint. Priori † in casu, rectè hoc onus societatis esse negatur *arg. l. 5. §. sed si filius 7. ff de agnosc. & alend. lib.* Joh. à Sommern. *tr. de jur. Noverc. cap. 2. num. 2. pag. 33.* nisi † illorum parens, bonorum liberorum usum fructum haberet; quo in casu, cum fructus ex bonis liberorum percepti cedant conjugali acquæstui, jure meritoque hujusmodi liberi, ex communibus societatis bonis erunt alendi & sustentandi, *arg. l. 10. de R. J. l. 55. pro soc.*

7. 8. 9. 10.

Posteriori † verò in casu, aliud dicendum videtur. Cum enim ipsa naturalis & civilis ratio jubeat, ut pater, vel illo deficiente, mater, liberorum suorum, quamdiu ipsimet nequeunt sibi prospicere, curam habeat, iisdemque alimenta necessaria præstet; quis † enim dubiter, Impium & ab omni humanitate alienum esse, ut quis hominem innoxium à se procreatum, inde unicè interris dependentem, culpa sua patiatur interire. vid. Aristot. *1. Polit. cap. ult. l. 8. §. 5. ibi: Sed propter ipsam naturam & leges, quæ & à parentibus, alendos esse liberos imperaverunt. Cod. de bon. quæ lib.* Unde Crassus Antonino apud Cicer. *lib. 2. de oratore: Neque boni est, neque liberalis parentis, quam procreavit & eduxerit, eum non & vestire & ornare, præsertim cum te locupletem negare non possis.* Et Æschines contra Cresiphont: *Qui liberos edit, paterque improbus est, nunquam bonus erit populi moderator ac Patronus: quique capit charissima & summa necessitudine juncta, non amat, nunquam vos, qui alieni estis, pluris faciet; Nec qui privatim malus est, publicè bonus erit*, referente Mornac. *ad l. 11. C. de negot. gest.* Cum † autem, quicquid pater vel mater ex priori matrimonio liberos habens, sua operâ & industriâ acquirit, illud, uti & omnes ejusdem bonorum fructus acquæstui conjugali cedant, atque alteri conjugum communes fiant; ipsa quoque æquitatis ratio suadet, ut hoc quoque onus commune fiat, & ad societatis

11. 12. 13.

tatis onera referatur; *arg. d. l.* 10. *de R. J. l.* 55. *ff. pro soc.* etsi pars altera liberos ex priori matrimonio habeat nullos. vid. Hect. Felic. *de societ. cap.* 26. *num.* 8. non obstantibus illis, quæ habet ipse *cap.* 27. *num.* 64. Neque † vitricus vel noverca justam querendi
14. causam habet; Cum sibi imputare debeat, quod cum tali persona nuptias contraxerit, quæ tot alendos liberos, & onerosam pascit familiam; cujus conditionem ignorare nec potuit, nec debuit. *l. Si Titius.* 48. *ff. de fidejuss. l.* 19. *ff. de R. J.* quo etiam facit *l. quamvis.* 20. *ff. sol. matrim.* Joan à Sommern *de tr. cap.* 2. *n.* 2. vid. Besold. *ad I. P. W. diss.* 4. *thes.* 25. ubi refert contrariam Gutierrez. sententiam, & in fine addit; *quod tamen minimè approbandum esse videtur.*

15. Atque hæc † sententia in nostro Ducatu minus est dubia, quippe ubi & mater & pater bonorum, quæ liberi prioris matrimonii, à patre vel matre defuncta, vel aliunde acquisiverunt, usumfructum habet, & exinde liberis alimenta, sumptus studiorum & alias ad honestam illorum educationem necessarias expensas, pro ratione facultatum, & conditione personarum præstare tenentur. W. Landr. *part.* 4. *tit.* 11. *pr. pag.* 463. cujus verba ita sonant: Nach dem auff Absterben / deß einen Ehegemächts / daß überlebend (Vater oder Mutter) der Kinder angefallen Gut / zu nutzen und zu nieſſen hat: Also soll hingegen / solch nieſſend Ehegemächt in alle weg schuldig seyn / dieſe seine Kinder vordrist zur Gottesforcht / auch zum studiren / oder ehrlichen Handwercken und Handthierungen / darzu sie taugentlich gebührlich zu erziehen / und ihrem Stand und Vermögen gemäß zu ernehren. *Et part.* 4. *tit.* 9. Besold. *ad d. part.* 4. *thes.* 49.

§. XXXII.

De mercedo & alimentis famulorum. Quod de sumptibus ad liberorum educationem & elocationem necessariis dictum; illud etiam procedit in famulorum mercede & alimentis, aliisq; ad familiam conservandam & sustentandam necessariis; ut sunt, des Haußgesinds Liedlohn und Kost / Haußzinß / Holtzgeld / und dergleichen. W. Landr. *p.* 4. *tit.* 4. §. Da nun. *& seqq. pag.* 434. *& seqq.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Maritus † vel uxor si indigentem habet patrem vel matrem, negant communiter Dd., hosce ex communibus societatis bonis ali posse. Gutierrez. Sanz. *ll. supra citat.* Verùm † rationes in præcedenti §. pro liberis prioris matrimonii adductæ, contrarium evincere videntur, vid. etiam Besold. *d. disput. 4. th. 25. in fin.* 1. *De alimentis parentum.* 2.

§. XXXIV.

Onera hujus societatis, quæ res respiciunt, sunt I. Onera publica ex rebus, vel propter res conjugum præstanda; ut sunt v. gr. tributa † & collectæ; schuldige Steuer / Contribution, Ablössungs-Geld/Römer-Zug &c. so in währender Ehe auffgeschwollen; idque † sive debeantur ex bonis conjugum communibus, sive ex singulorum propriis, tamen ad socialia pertinent debita, & ex communibus bonis, & quidem æqualiter sunt solvenda, etiamsi mariti & uxoris bona propria sint inæqualia, maritus multa, uxor verò pauca vel nulla possideat immobilia hisce oneribus subjecta. Cum † enim bonorum illorum fructus utrique æqualiter communicentur; æquum est, ut etiam illorum onera ex æquis partibus præstentur; *arg. §. 3. J. de societ.* maximè † cum hujusmodi præstationes, fructuum sint onera, illisque incumbant, qui fructus percipiunt & acquirunt. *l. 13. ff. de expens. in res dotal. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. de usufr. l. 28. ff. de usufr. leg.* Johann. Garsias *tr. de expens. cap. 1. num. 46. & 47.* ubi generaliter tradit, quod, qui partem fructuum percipit, etiam partem onerum ratione rei præstandorum ferre teneatur. *add. num. 56.* Neque † hic distinguendum inter onera ordinaria & extraordinaria, quæ pro ratione temporis & status extra ordinem imponuntur. *arg. dd. ll.* maximè *d. l. 28. de usufr. leg.* Garsias *d. cap. 11. num. 48.* Carpzov. 1. *Respons.* 106. 1. *De oneribus hujus societatis, quæ res respiciunt.* 2. *De tributis & collectis.* 3. 4. 5. 6.

Si verò † hujusmodi onera ex propriis mariti vel uxoris bonis debita, fructus longè superarent, quoad hujusmodi excessum, aliud dicendum esset. Nam hoc debitum sociale est propter fructus, quos conjuges æqualiter lucrantur; cessante itaq; causa, cessare debet causatum. Brunnem. *ad l. 7. C. de usufr. in fin.* 7.

vid. omnino Mev. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 187.* Carpzov. *l. 1. Respons. 106. num. 12. & seqq.* nisi alia adesset æquitatis causa, quæ contrarium suaderet.

§. XXXV.

1. Quod dictum est de oneribus publicis, illud etiam locum habet in oneribus privatis, quæ privatis, ex rebus conjugum communibus vel propriis, singulis annis, præstari debent: ut † si annui reditus, ex conjugum prædiis sunt præstanei, jährliche Frucht oder andere Gült/Landgarb/& similia *arg. l. 7. §. 2. in fin. ff. de usufr. arg. l. ult. §. fin autem C. de bon. quæ lib.* vid. Benedict. Carpzov. *l. 1. Respons. 104. num. 13.* vid. Joan. Garsias *de expens. cap. 11. num. 46.*

De oneribus rerum privatis.

2.

§. XXXVI.

1. Quid verò de annuis reditibus personalibus & usuris, ex debitis à marito, vel uxore allatis, von den Zinsen aus des Manns/ oder des Weibes zugebrachten Schulden/dicendum sit, & an etiam ad socialia debita pertineant, dubio haut caret. Cum † enim capii alia non sint debita socialia; proinde idem dicendum videtur de illorum accessoriis, usuris nimirum ex illis debitis; maximè cum hæc onera non rebus incumbant, nec res sequantur, sed ad illa personæ sint obligatæ *l. f. in fin. ff. de contrah. empt.*

De Usuris.

2.

3. Verùm † cum omnes fructus ex omnibus mariti & uxoris bonis, in hac societate, fiant communes, & pertineant ad acquæstum conjugalem. Bona autem non intelligantur, nisi deducto ære alieno, per superius dicta; & æs alienum totum minuat patrimonium *l. 50. §. 1. ff. de judic.* Hic verò æs mariti vel uxoris alienum in societatem illatum, reipsa à bonis illorum non fuerit deductum; sed fructus etiam ex illis rebus percipiantur & communicentur, ex quibus æs illud alienum fuisset solvendum; proinde † æquum omnino est, ut etiam hujusmodi annuæ præstationes & usuræ ex capitalibus mariti vel uxoris, durante societate, debitæ, ad debita referantur socialia. Secundum † naturam enim est, commoda cujuscunque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *l. 10. de R. J.* Et æquum est,

4.

5.

ut

ut socius cujus participavit lucrum, participet & damnum. *l.* 55. *in fin. ff. pro soc.* facit huc. *l.* 8. §. *fin. autem C. de bon. quæ liber.*

§. XXXVII.

Cæterum si maritus vel uxor, in matrimonium debita quidem, sed nulla in hanc societatem attulisset bona, tunc, an usuræ inde durante matrimonio præstandæ, debitum sint sociale, magis dubium videtur. Cessat enim hic ratio supra adducta. Ad † boni viri arbitrium, hæc res redigenda videtur. *arg. l.* 6. *l.* 80. *ff. pro soc.* & videndum, pars, quæ debita, sed nulla in hanc societatem attulit bona, an scientiâ, arte, industria & opera sua, in societate multum lucretur, atque sic, uti plerumque facit pauperior, opera suppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deest. *l.* 5. §. 1. *ff. pro soc. Plerumque enim*, inquit Ulpianus, *tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quàm pecuniæ. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, periculæ subeat solus. l.* 29. §. 1. *ff. pro soc.* Hujusmodi in casu, usuræ ex illius debitis allatis debitæ, ut singulis annis ex acquæstu conjugali præstentur, utique æquum erit *arg. d. l.* 55. *in fin. ff. pro soc.*

§. XXXVIII.

II. Ad hujusmodi societatis onera, quæ res respiciunt, pertinent expensæ, quæ in res conjugum fiunt, perpetuæ utilitatis gratia. vid. *l.* 3. *ff. de expens. in res dotal.* ita † tamen, ut quoad bona conjugum propria hic distinguentum sit inter modicas & magnas. Modicæ, † quibus res sartæ tectè conservantur, sociale sunt debitum. Societatis enim sumptibus, res etiam conjugum propriæ, quæ societati fructificant, sartæ tectæ sunt servandæ; atque sic modica illarum refectio ad societatem pertinet. *arg. l.* 7. §. 2. *ff. de usufr. l.* 7. *C. eod.* Magnæ † verò expensæ in res conjugum proprias; perpetuæ utilitatis gratia factæ, non pertinent ad æs alienum sociale; nec si v. gr. domus mariti vel uxoris, vetustate aliqua ex parte corruerit, societatis sumptibus reficienda erit, *arg. d. l.* 7. §. 2. *ff. l.* 7. *C. de usufr.* Quæ † autem modicæ, quæ magnæ dicantur expensæ, æquo prudentis judicis arbitrio, maximè ex fructuum quantitate, æstimandum venit. vid. Joan. Brunnem. *ad d. l.* 7. & Joan Garsias *d. cap.* 11. *n.* 16.

De expens. in res.

§. XXXIX.

De expensis litis. Præcedens distinctio, inter expensas modicas & magnas, etiam in expensis litis ob rem mariti vel uxoris propriam motæ, adhibenda videtur, per ea, quæ leguntur apud Joan. Garf. *tr. de Expens. cap.* 11. *n.* 10. *&* 11.

§. XL.

1. *De Ære alieno non sociali.* Hactenus de Ære alieno sociali; quo cognito, facilè quidem, quæ debita socialia non sint, intelligi potest: ut tamen hæc quoque paulo plenius intelligantur, de illis sequentia subjiciemus.

2. Debitum non sociale est, quod principaliter non in societatis utilitatem, nec ob aliquod societatis onus est contractum. Gutierez. *lib. 2. quæst. pract. 118. num. 4. vers. non obstat primum.* Tale

3. *De debitis hereditariis & legatis ab uno conjugum præstandis.* † est, v. gr. si maritus vel uxor hereditatem sibi testamento vel ab intestato delatam adit, & inde creditoribus hereditariis atque legatariis obligatur. Cum † enim hujusmodi hereditas non societati nostræ conjugali cedat, sed ei tantùm, cui delata, & à quo adita, acquiratur; vid. *l. 7. & seqq. ff. pro soc.* W. Landr. *p. 4. tit. 4.* §. Da nun. *& seq. tit. 5.* §. ferner. *Item tit. 6. & 7.* §. ferner. sua

4. sponte † sequitur, quod nec æs alienum hereditarium, nec le-

5. gata inde debita ad æs alienum sociale pertineant. Licet †

6. enim fructus postea ex rebus hisce percepti ad acquæstum conjugalem spectent, & communes fiant, quia tamen æs alienum hereditarium & debita legata, non onus fructuum, sed ex ipsis bonis hereditariis sunt solvenda; vid. *l. 8. §. 4. C. de bon. quæ liber.* proindè rectissimè societatis debita esse negantur.

7. *De annuis legatis.* Excipiuntur † legata annua; in quibus distinguendum, an

8. annui hereditatis reditus ad illa præstanda sufficiant, an verò hereditatis substantia, annuum reditum ad præstationem illorum sufficientem non habeat. Priori † in casu, societatis, quæ fructus & reditus illos percipit, est debitum, posteriori vero in casu conjugis heredis proprium *arg. l. fin.* §. *4. C. de bon. quæ liber.* ibi Brunnem.

§. XLI.

1. *De debito ex transactione.* Idem dicendum, si maritus vel uxor, ob res suas proprias conservandas vel consequendas, per transactionem alteri aliquod

non

non modicum promisit: Nam nec † hoc onus fructum est, sed potius expensis in rem factis comparatur; & per consequens, æque, ac illæ non modicæ, rectè æri alieno non sociali annumeratur. *arg. l. 13. vers. hactenus ff. de usufr.* 2.

§. XLII.

De indebito accepto.

Præterea huc pertinet debitum, quod maritus vel uxor contraxit, indebitum à suo proprio putativo debitore accipiendo; quia & hoc facit principaliter in suam propriam & non societatis utilitatem; & acceptum ipsi soli acquiritur, vid. Felic. *de sociat. cap. 30. num. 6.*

§. XLIII.

De indebito ad quod maritus injuriâ Judicis condemnatus.

Neque aliud dicendum, si maritus vel uxor in causa propria litem suscipit, & postea ad indebitum solvendum injuria judicis condemnatur, *vid. l. 52. §. 18. ff. pro soc.* & ibi Gothfr.

§. XLIV.

De debito ex fidejussione mariti.

Porro refertur ad debitum non sociale, quod maritus fidejubendo contraxit. Hoc enim debitum neque utilitatem neque onus societatis respicit. Gutierrez. *lib. 2. quæst. pract. 128. n. 1. & seqq. ubi hanc veriorem & tenendam esse scribit, simulque ad contraria respondet* Petr. Sanz. *tr. de bonor. divis. 2. cap. 13. num. 12. & seqq.* Besold. *ad J. P. IV. disp. 4. th. 25. ibi: non tamen in eam classem sunt accensenda, si v. gr. maritus aliquid fidejussionis nomine debeat.* Rodenburg. *de jur. conjug. 1. tit. 2. cap. 1. num. 8.* ibi: *aut passim pro quovis susceperit fidejussionis, non minus planum est, rem incidere in meram prodigalitatem, perindeque esse, atque si Bacho prodegisset maritus, aut venere.* Joan à Sande *decis. Frisicar. lib. 2. tit. 5. def. 8. vers. aut ex fidejussione, ubi testatur multis curiæ præjudiciis hoc esse communiter roboratum.* Diss. Renat. Choppin. *ad consued. Parisiens. lib. 2. cap. 10. ubi scribit, multis arrectis fuisse judicatum, mulierem etiam fidejussione mariti teneri,* referente Joan. à Sande *d. l.* 1.

Dicta † vera esse censemus, licet maritus pro parentibus aut liberis suis intercesserit. *arg. l. 5. §. 16. de agnosc. & alend. liber. t. t. C. ne fil. pro patr.* Unde si pater † pro filio officium aliquod in hoc Ducatu suscipiente, consuetam præstat cautionem, 2. 3.

4. hoc debitum non ſocietatis, ſed mariti eſt proprium; etiamſi † filius ille ex eodem matrimonio ſit natus, & uxor quoque in hoc conſenſerit, & cum marito ſeſe obligaverit. vid. Joh. à Sommern. *tr. de jur. Noverc. c. 4. n. 6.*

§. 6. Idem obtinet, † ſi maritus vel uxor priora debita ſua propria novat, vel pro debitore ſuo expromittit. Limitationem † ratione fidejuſſionis tradit Gutierrez. *d. quæſt. 128.* Sanz. *d. cap. 3. nu. 14.* Rodenburg. *d. l.*

§. XLV.

1. Item ſi maritus vel uxor ex liberalitate alteri aliquid promit-
De debito ex donatione, tit, non commune, ſed donatoris proprium eſt debitum. *arg. §. fin.* Würtemb. Landr. *p. 4. tit. 4.* Beſold. *ad J. P. W. diſput. 4. th. 25.*

2. Poteſt † quidem maritus, tanquam princeps hujus ſocietatis adminiſtrator, res ſocietatis communes alienare, ſed licitè tunc demum, ſi ſit in ſocietatis utilitatem & ob legitimam atque ne-

3. ceſſariam cauſam. Hujusmodi † enim adminiſtrandi poteſtas, non comprehendit donandi facultatem. *arg. l. 7. ff. de donat. l. 66. §. Lucius ff. mand.* Sanz. *de diviſ. bonor. 2. cap. 13. num. 1. & ſeqq.* ni-

4. ſi † & hoc ſocietatis intereſſe ſuadeat & exigat, Rodenburg. *de jure Conjug. tr. 1. tit. 2. cap. 1. n. 8.* ibi: *aut ſi donaverit quis ob id ipſum, quod exiſtimaret, ita ex re ſocietatis fore, ſuaque quam maximè referre, ut devinctum habeat eum, apud quem beneficium collocatur, licet in illo ſpes eum, eventusque fefellerit*, Gutierrez, *d. quæſt. 128. v. non obſtat*

5. *& ſecundum in fin.* Sic † etiam rei modicæ donationem ex honeſta cauſa ab hujusmodi ſociis factam non improbandam eſſe, cenſent Petr. Sanz. *d. cap. 13. n. 11.* Joan à Sommern. *cap. 4. num. 2.*

6. Beſold. *ad J. P. W. diſp. 5. theſ. 23.* Unde † ſi maritus ad amici
De donis nuptialibus & ſimilibus. nuptias invitatus, vel ut infantem ex SS. Baptismate ſuſciperet, rogatus, pecunia deſtitutus, ab alio munus novis conjugibns, vel filiolo ſuo ſpirituali offerendum mutuum acciperet: quin hoc debitum referendum eſſet ad ſocialia debita, nulli dubitamus. *arg. l. 20. §. 3. ff. de adminiſtr. & periculi tut. arg. §.* wann Eheleut. W. Landrecht. *part. 3. tit. 7. pag. 350. junct. l. 55. ff. pro ſoc.*

§. XLVI.

§. XLVI.

Deinde æs alienum ſociale non eſt, quod maritus contrahit heluando, ludendo, ſupra vires patrimonii pretioſo & ſplendido amictu ſuperbiendo, vel aliis prodigalitatis ſpeciebus. *arg. l. 59. §. 1. ff. pro ſoc. §.* Da nun von des Manns *& §§. ſeqq. maxime §. ult.* W. Landr. *part. 4. tit. 4. pag. 400.* ibi: Durch ſein ſelbs Freygebigkeit/oder verthuniſch/üppich/zerhafft Weſen/Pracht und Hoffart verthan. Licet† enim in dictis §§. non videatur agi de noſtro ære alieno ſolvendo, ſed de rebus conjugum propriis, conſtante matrimonio perditis aut conſumptis: optimum tamen ob identitatem rationis ex *dd. §§.* ad noſtram materiam ducitur argumentum; ita ut, quæcunque cauſæ alienatarum rerum conjugum propriarum faciunt, ut res illæ ab utroque conjugum ſint refundendæ, illæ rectè dicantur cauſæ ſocietatis, ſive ad ſocietatem pertinentes, etiam quoad æs alienum; quod per illam alienationem rerum ſociorum propriarum quodammodo contrahitur; & è contrario, quæcunque cauſæ hoc non efficiunt, ut res conjugum propriæ conſtante matrimonio alienatæ ſint refundendæ, ille pro cauſis ſocialibus non ſint habendæ.

1. *De debito ex unius prodigalitate.*

2.

Prædictam † ſententiam in dubium vocare videtur Beſoldus, *ad J. P. W. diſp. 4. th. 33.* ſcribens: *vix autem eſt, ut ex bonis conſtante matrimonio acquiſitis deduci queat, quæ alteruter conjugum potando, vel alia ratione decoxit.* Verùm † cum prior ſententia & æquitati & juri communi ſit conſentanea, uti etiam fatetur Joh. à Sande *lib. 2. deciſ. Friſic. tit. 5. def. 8. §. ſimiliter.* illaque jure Würtembergico non reperiatur reprobata, ſed potius aperte confirmata *in dd. §§.* proinde ut ab illa, etiam in foro, recedatur, cauſa legitima adeſt nulla. vid. diſp. *de peric. rer. in ſociet. conjug. illat. hic Tubingæ hoc ann. habit. cap. 3. §. 27. num. 8. & ſeqq.*

3.

4.

Placuit † quidem contrarium Suarez. *de lucr. marit. & uxor. cap. 1. num. 50. & ſeqq.* Petr. Sanz. *de bonor. diviſ. 2. cap. 13. num. 15.* Rodenburg. *de jure conjug. 1. tit. 2. cap. 1. num. 6.* Joan. an Sande *dict. loc.* Petr. Peck. *de teſtam. conjug. l. 2. c. 6. num. 6.* Sed † apud illos, mores & conſuetudines ſuæ gentis, maxima ſunt deciſionis cauſa,

5.

6.

causa. Consuetudines autem, inprimis Juri communi contrariæ, sunt stricti juris, neque de loco in locum extendendæ. *Dd. passim.*

§. XLVII.

1. Tandem pertinet ad æs alienum non sociale, quod à marito vel uxore delinquendo contrahitur. Sicuti enim † maleficio quæsita in societatem non oportet conferri: *l. 53. l. 57. ff. pro soc.* Joan. Lopez. *de lucr. marit. & uxor. cap. 9. num. 8.* ita nec debita delinquendo à socio contracta sunt communia sive socialia. *arg. l. 52. in fin. pro soc. arg.* Wurt. Landr. *part. 4. tit. 4. §. ult.* Sic † senatus Frisiæ mulctam, quam maritus nomine culposi homicidii debebat, ex solis mariti bonis solvendam esse judicavit teste Joan à Sande *l. 2. t. 5. decis. 8. vers. similiter.* Hinc † bonis mariti, propter ejus delictum publicatis, uxor dimidiam acquæstus partem retinet salvam. *arg. d. l. 52. § fin. l. 2. C. ne ux. pro mar. l. 24. C. de donat. inter vir. & uxor. l. 2. C. ad L. Jul. de vipubl. l. 22. C. de pœn.* Christinæ. *vol. 3. decis. 27. num. 7.* Lambert. Goris. *adverſ. 1. cap. 4. num. 8. & seqq.* Tuld. *in C. tit. ne ux. pro marit. nu. 2.* Didac. Segura *de lucr. mar. & uxor. n. 1.* Johan. Lopez. *eod. tr. cap. 10. n. 19.*

De debito ex delicto.

2.

3.

4.

5. Si † tamen illicitè quæsita in communionem illata fuerint, & quidem sciente & consentiente uxore, hoc debitum sua natura non sociale, per accidens fit sociale & quidem non tantum quoad rei restitutionem, sed etiam quoad pœnam. *per text. in l. 55. & seqq. ff. pro soc.* Joan. Lopez. *d. cap. 9. num. 9.* Joan. à Sand. *d. def. 8.*

6. Secus † si uxore ignorante maritus rem illam furto vel simili modo illicitè quæsitam, in communem societatis causam impendit. *l. 55. pro soc.* Neque † hic distinguimus inter delicta leviora & graviora, *arg. d. §. ult.* Wurt. Landr. *d. l. 52. §. ult.* uti tamen facit consuetudine patriæ suæ Lambert. Goris, *in adverſar. jur. tr. 1. cap. 4. n. 7. & 12.*

7.

§. XLVIII.

De Reſiduo Rationum.

1. Ex dictis colligi potest, quid dicendum sit, de Residuo Rationum mariti in officio publico constituti, von dem Rechnungs-Rest. Si † maritus pecuniã, quam ipse administrat publicam, Bacho, ludo, venere & luxu prodigaliter consumsit, recte illud ad

æs alie-

æs alienum ſociale pertinere negatur: *arg. l. 52. §. fin. l. 59. §. 1. ff. pro ſoc.* ſi † verò illam in communem familiæ ſuſtentationem & utilitatem impendit, ſociali annumerandum eſt. *arg. d. §.* Da nun des Manns ꝛc. *& §§. ſeqq.* W. Landr. *part. 4. tit. 4. arg. l. 55. ff. pro ſoc.* vid. Joan à Sand. *l. 2. deciſ. Friſic. tit. 5. def. 8. verſ. dubitandum quandoque.* 2.

CAPUT IV.

De

ÆRE ALIENO IN SOCIETATE CONJUGALI AB UTROQUE CONJUGUM CONTRACTO, SOLVENDO.

§. XLIX.

POſtquam hactenus Æs alienum in ſocietate conjugali contractum, tam ſociale, quàm non ſociale, in ſe & abſolutè conſideravimus; nunc unde ſolvendum illud ſit, perſpiciendum erit. Hunc enim in finem hæc tractatio præcipuè eſt ſuſcepta. Ut autem hic quoque diſtinctè procedamus, videndum, † an Uterque conjugum maritus & uxor, hujusmodi debitum contraxerit; an verò illud ab uno tantum illorum factum ſit. Priori in caſu † iterum diſtinguendum, an æs alienum ab utroque Conjugum in ſocietate conjugali contractum ſit ſociale, an vero non ſociale. Si eſt † ſociale, primùm ſolvendum eſt ex acquæſtu conjugali. *arg. l. 27. ff. pro ſoc. ibi omne æs alienum, quod manente ſocietate contractum eſt, de communi ſolvendum.* W. Landr. *part. 4. tit. 4. §.* Nehmlich. ibi: Wann die Schulden von beeden Eheleuten gemachet/ ſollen dieſelbe von der gemeinen in ſolcher Ehe durch beede Ehegemächt errungen und gewunnen Gut ꝛc. erſtattet werden. Beſold. *ad I. P. IV. diſp. 4. th. 13.* Plebſt. *ad I. P. IV. diſp. 4. th. 8.* vid. Didac. à Seguera, *de lucr. marit. & uxor. num. 6.* Lopez. *de ead. mater. cap. 10. num. 1.* Lucrum † enim non intelligitur, niſi prius omne ſocietatis æs alienum deducatur. *l. 30. ff. pro ſoc. l. 39. §. bona. de V. S.* Petr. Sanz, *tr. de bon. dicif. 2. cap. 12. num. 1. & 2.* 1. 3. 4. Si eſt ſociale. 5.

§. L.

1. Ex dictis sua sponte sequitur, quod, si v. gr. maritus uxori omnem acquæstum conjugalem legaverit, æs alienum sociale, non ab heredibus mariti ex propriis ejusdem bonis, sed ex legato acquæstu deducendum & solvendum sit. Acquæstus † enim vel lucrum sociale, uti dictum, cum effectu non intelligitur, nisi sociali ære alieno deducto. *arg. d. l. 27. l 30. ff. pro soc. l 39 §. bona. de V. S.* Sanz. *de bon. divis. lib. 2. cap. 12. num. 2.* Roderic Suarez. *in l. 1. de lasganicas. num. 16. pag. 68.* Nam † acquæstus conjugalis est quædam universitas; quâ legatâ, debita inde præstanda prius sunt deducenda. *arg. l. 6. pr. & §§. seqq. l. 8. l. 18. ff. de pecul. legat.* Unde legatis acquæstibus, heredes legatum præstare non tenentur prius, quam æs alienum sociale fuerit deductum, aut legatarius caveat, de hujusmodi ære alieno exsolvendo *arg. d. l. 18. ff. de pecul. legat.* vid. omnino Joan. Grivell. *Dec. 95.* ubi *n. 12.* Senatum Dolanum ita judicasse refert.

Si maritus acquæstum legabit uxori.

2.

3.

4.

5. Sed † hoc intelligendum de ære alieno sociali; si aliud adest æs alienum non sociale, sed mariti proprium, illud non ex acquæstu, sed ab heredibus ex reliquis mariti bonis est solvendum. *arg. l. 1. C. si cert. pet.* Grivell. *d. decis. 95. num. 12.* ibi: *debita autem antiqua & ante matrimonium facta, censuit idem Senatus esse deducenda ex bonis hereditariis antiquis.*

6. Porrò † si maritus non omnes acquæstus, sed v. gr. ædes constante matrimonio emptas, vel alias res singulares ad acquæstum pertinentes uxori legaret, aliud dicendum esset; neque hoc in casu quicquam, æris alieni nomine, legato detrahendum; sed si † reliqui acquæstus non sufficerent, dimidia pars æris alieni socialis à marito solvenda, ab ejus heredibus, ex bonis ejus propriis esset præstanda. *arg. l. 10. ff. de pecul. legat.* Grivell. *dict. decis. 95. num. 9.*

7.

§. LI.

1. Si nullus adest acquæstus conjugalis, wann in wehrender Ehe nichts fürgeschlagen/sondern zu nothwendiger Ausbringung gemeiner Haußhaltung eingebüsset worden; aut acquæstus non sufficit ad hujusmodi æs alienũ exsolvendum, tunc ex propriis conjugum bonis in hanc societatem illatis, ejusdem solutio est faciende.

Si nullus adest acquæstus conjugalis.

Würt.

Würt. Landr. d. §. Nehmlich. ibi: und da sich solches so weit nicht erstreckt, von eines jeden Ehegemächts andern eigenthumlichen Gut. Besold. Plebst. dd. ll. Neque † uxor hic juvatur beneficio SCti Vellejani, aut novæ constitutionis, arg. l. 13. l. 17. §. fin. ff. ad SCt. vellejan. Auguſtin. Barboſ. in Cod. d. auth. ſi qua mulier C. ad SCt. vellejan. Alex. Trentacinq. lib. 3. tit. de fidejuſſor. Reſol. 3. num. 15. Matth. Berlich. part. 2. concl. 19. num. 81. Nicoll. à Vall. de reb. dub. tr. 13. num. 9. Joh. Franciſc. Balthaſ. part. 4. pract. reſol. tit. 1. Reſol. 11. num. 19. Et † his apparet, non ſimpliciter procedere, quæ Beſoldus ad J. P. W. diſp. 4. th. 26. & ex eo Dn. Wibel. tr. de contract. mulier. cap. 6. num. 31. ſcribit: *Sed tamen non ceſſat ob hanc quæſtus communionem SCti Vellejani beneficium, nec uxor propter tit. 4. §. da aber. tenetur ad debita ultra acquiſita, de propriis ſuis bonis.* 2. 3.

§. LII.

Cæterum † ſi nec propria conjugum bona in hanc ſocietatem illata, ad hujusmodi æs alienum extinguendum ſufficerent, ipſi autem alia adhuc haberent bona, quæ in hanc ſocietatem non induliſſent: Ut ſi ſinguli, vel maritus vel uxor tantum, partem bonorum, vel certam rem aut pecuniæ ſummam, ſibi ſeparatam pacto reſervaſſent; hoc † enim licitè fieri poſſe nulli dubitamus; per ea, quæ ſupra cap. 2. §. 9. ſunt dicta vid. §. Wann Eheleut. part. 3. tit. 7. pag. 350. Goris in adverſ. jur. tr. 1. cap. 1. num. 27. aut † maritus vel uxor haberet bona jure uſusfructus apud ejusdem patrem vel matrem exiſtentia, bey andern noch nützlich ſtehende Güter. vid. Würt. Landr. part. 4. tit. 7. §. und was/ & ſeq. tit. 15. an † in hujusmodi caſu ex illis quoque, in defectum conjugalis acquæſtus, aliorumque bonorum hujusmodi æs alienum eſſet exſolvendum, quæſtionis eſt? 1. *Si nulla adſunt bona in ſocietatem illata, ſed tamen alia.* 2. 3. 4.

Primò † intuitu hoc propterea negandum videtur, quod Dd. communiter tradant, debita ſocialia, ex bonis tantum ſocialibus, non vero ex aliis ſolvenda eſſe, quæ ſocii habent extra ſocietatem Rot. Genuens. deciſ. 14. num. 111. Cacheran. dec. 150. num. 8. & 9. Michalor. tr. de fratrib. part. 1. cap. 48. num. 3. Paul. Chriſtinæ. vol. 3. deciſ. 53. verſ. ſecundo limitandum. & vol. 1. deciſ. 208. num. 8. 5.

Verùm † ſicuti contraria ſententia, debita ſc. ſocialia etiam ex bonis ſociorum non ſocialibus in ſubſidium exſolvenda eſſe, 6.

de jure est verior, *arg. l. 50. §. 1. ff. de judic. arg. l. 1. l. 3. l. 4. §. 1. de Exercit. act. l. 13. §. fin. l. 14. ff. de instit. act.* Caspar Anton. Thessaur. *lib. 4. quæst. 30. num. 4. & seqq.* vid. *disput. hic Tubingæ Anno 1668. habit. de socior. obligatione, qua oritur ex conventione cum extraneis inita.*

7. *cap. 6. §. 57.* ita † eandem in hujusmodi casu, maximè in foro Würtembergico, observandam esse, arbitramur, propter textum generalem, *in* W. Landr. *p. 4. tit. 4* §. Nemlich/ibi: und da sich solches so weit nicht erstreckt / von jedes Ehegemächts andern eigenthumlichen Gut. Cum itaque † hic §. non distinguat, inter bona conjugum propria, in societatem illata & non illata; ea propter nec nostrum erit, inter illa quoad hanc causam distinguere.

8. Neque † excipienda erunt bona jure ususfructus ad alios pertinentia; quippe quæ etiam conjugum sunt propria, der Ehe leut eigenthumlich Gut; licet alius in iisdem usumfructum habeat. *l. 25. pr. ff. de V. S.* vid. Besold. *ad J. P. W. diss. 4. th. 28. ibi:* und aber berührter maritus noch eine Mutter hinter sich verlassen / welche sein väterlich Gut zu genieſſen: alsdann ist man dem Weib auff der nieſſerin Tod / solchen halben Theil von der Einbuß zu erstatten verbunden.

§. LIII.

1. *De portione quæ ex bonis mariti vel uxoris solvenda.*

Deficiente conjugali acquæstu, æs alienum sociale ab utroque conjuge contractum, ex propriis conjugum bonis est solvendum æqualiter, & ex æquis partibus; dimidia pars ex bonis mariti, & altera dimidia pars ex bonis uxoris, licet inæqualia sint ipsorum patrimonia. W. Landr. *p. 4. tit. 4. §. Nämlich in fin. ibi:* zum halben Theil. Cum † enim lucrum hujus societatis in nostro foro Würtembergico ex æquis partibus inter conjuges dividatur. Würt. Landr. *part. 3. tit. 7. §.* Wann Ehe leut. *pag. 359. part. 4. tit. 4. §.* Und dann *& seqq. pag. 441. & seq.* æquum est, ut etiam æs alienum societatis causa ab illis in hac societate contractum, ex æquis portionibus solvatur. *§. 3. J. de Societ.*

2. *Si conjuges non habent æquales lucri partes.*

§. LIV.

Ubi conjuges non habent æquales, sed inæquales lucri partes, ibi etiam æs alienum sociale, non æqualiter, sed secundum partes lucri solvere tenentur. *arg. d. 3. §. J. de societat.* Hinc † cum

2. in hac Illustri Academia Tubingensi, secundum ejusdem statuta,

tuta, marito vel uxore sine liberis ejusdem matrimonii mortuo, maritus duas tertias, uxor verò vel ejus heredes unam tantum tertiam accipiant conjugalis acquæstus partem. *Stat. renovat. fol. Tubing. fol.* 174. Besold. *ad 7. P. IV. disput. th. 53.* uxor † etiam hujusmodi in casu, tertiam tantum æris alieni partem solvet. *arg. d. §. 3. I. de societ.* 2.

Quin † etiam conjuges pactis aliud constituere, & partes lucri & damni, atque etiam æris alieni solvendi, in hac societate mutare possint, nulli dubitamus. *arg. d. §.* wann Eheleut Würt. Landr. §. 1. & 2. *J. de societ.* 4.

§. LV.

Si nullus adesset conjugalis acquæstus, & unus ex conjugibus v. gr. maritus nulla planè, aut ad suam æris alieni partem solvendam non sufficientia habet vel relinquit bona; an pars altera, v. gr. uxor, sufficientia possidens bona, totum hoc æs alienum, ab utroque conjugum contractum, ex propriis bonis solvere vel supplere cogatur, quæstio est decisione & resolutione dignissima. 1. *Si unus ex conjugibus non est solvendo.*

Besoldus † hoc ipsum affirmat *ad 7. P. IV. 4. thes. 28.* hisce verbis: *Sed si debitum sit commune, & ex modo dicta causa contractum, tunc si maritus nihil habet in bonis, in solidum uxor tenetur*; rationem vel legem addit nullam. 2.

Contrarium † nos verius putamus. Quando enim duo plures ve socii communi consensu cum extraneo contrahunt, singuli quidem eidem obligantur, verum regulariter non in solidum sed tantum pro rata & portione. *l. 4 pr. ff. de Exerc. act. l. 11. §. 2. ff. de duob. reis l. 44. §. 1. ff. de ædil. edict.* Alvar. Valasc. *decis. 98. num. 6.* Tulden. *in Cod. tit. de Obl. & Action. num. 6.* Hieron. Magon. *decis. Excens. 1. num. 28.* Joh. Baptist. Costa. *tr. de quota & rat. quæst. 99. num. 1. & seqq.* Neque † contrarium de conjugibus sociis reperitur constitutum; sed in §. Nemblichen. *part. 4. tit. 4.* Würt. Landr. *pag. 437.* indistinctè & generaliter dicitur, daß die von beeden Eheleuten / in währender Ehe gemachte Schulden / wann kein errungen Gut vorhanden / von jedes Ehegemächts anderm eigenthumlichen Gut zum halben Theil erstattet werden soll. Atque hanc sententiam etiam de sociis conjugibus defendit. Joh. Grivell. *Decis. Dolosan. 20. n. 1.* 3. 4.

§. LVI.

1. *Si conjuges sese in solidum obligarunt.*

Si verò conjuges expresse sese in solidum obligarunt, tunc quin maritus vel ejus heredes, in solidum, & quidem, uxore non solvendo existente (alias enim locum haberet beneficium divisionis. vid. *disput. de Sociorum obligatione &c. Anno 1668. hic Tubing. habit. §. 35. num. 4.*) efficaciter conveniri possit, nulli dubitamus. *arg. l. 11. §. fin. ff. de duob. reis.* vid. Paul Christinæ. *vol. 3. dec. 52. num. 6.*

2. An verò † idem dicendum de uxore, inde dubium redditur, quod, quoad dimidiam partem, ipsa intercessisse videatur, contra SCtum Vellejanum & auth. si qua mulier. *C. ad SCt. Vellej.*

3. Hoc † tamen non obstante, idem de uxore affirmat Johann. Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap. 10. num. 2. ibi: & subdit fortius.*

4. Nos † in hac quæstione distinguendum esse arbitramur, an uxor in causa societatis (hoc enim hic semper præsupponitur) ex aliqua rei familiaris necessitate sese in solidum cum marito obligaverit, ita ut si illud non fecisset, ipsa majus damnum passura fuisset; an verò hujusmodi causa non adfuerit. Priori † in

5. a casu, ipsam in solidum obligatam esse, ita ut si maritus non sit solvendo ad solidum quoque solvendum condemnari possit, probatur per textum in *l. 17. §. f. ff. ad SCt. Vellej.* Joan. Grivel. *Dec. Dolos. 20. num. 1. & seq.* Joan. Franc. Balthasar. *part. 1. pract. resol. 11. resol. 11. num. 19.* Licet † enim hic pro parte mariti intercedere

6. videatur: quia tamen hoc fit ob propriam utilitatem; proinde non juvatur beneficiis fœminis intercedentibus concessis, *arg. l. 13. ff. ad SCt. Vellej.* Grivell. *de decis. 20. n. 3. & 11.*

7. Posteriori † in casu, quoad dimidiam partem à marito solvendam uxor rectè sese defendit beneficio novæ constitutionis, sc. *auth. si qua mulier. C. ad SCtum Vellej. arg. d. l. 17. §. fin.* vid.

8. Berlich. *part. 2. concl. 19. n. 82.* Nicoll. à Valla *de reb. dub. tract. 13. num. 19.* Grivell *d. decis. 20. num. 1. ibi: nec etiam quando sese obligat in rem communem, quam sua interest, totam conservari, & num. 2. ibi: quod ita commune est.* J. F. Balthas. *d. resol. 11. n. 19.*

§. LVII.

1. *An solius mariti con-*

Quæ hactenus dicta, quod scilicet æs alienum sociale ab utroque conjugum contractum, ex acquæstu conjugali, vel ex pro-

propriis conjugum bonis æqualiter sit solvendum, procedunt & locum habent, licet illud maritus unà cum sola uxore contraxerit, nullo alio uxoris curatore adhibito. Würt. Landr. *part. 4. tit. 4.* §. Nämlich. *pag. 437. arg. p. 2. tit. 29.* §. 1. ubi † in fine tunc demum alterius curatoris consensus, &, si summa centum florenos excedit, Judicis cognitio requiritur, si suspicio adest, uxorem vi metuve, aut dolosa mariti persuasione, ad contractum esse inductum. Ergò † regulariter optinet contrarium. Exceptio enim probat & firmat regulam in casibus non exceptis, per vulgata. vid. Besold. *ad J. P. W. disput. 2. th. 159. & seq. 164.* & Consil. Tubing. 98. *num. 27. & 28.*

sensus sufficiat, an vero alterius quoque curatoris requiratur.

2.

3.

§. LVIII.

Præterea etiam locum habent in præcedentibus dicta, etsi uxor, post æs illud alienum societatis gratia ab utroque conjugum contractum, acquæstui conjugali & communibus lucris renunciavererit. Licet † enim multi simpliciter doceant, quod uxor hujus modi lucris socialibus renunciare, atque eo ipso ab æris alieni solutione sese liberare, suâque allata, & propria bona integra recipere possit: Garsias *tr. de conjug. acquæst. num. 1. 5.* Lopez. *tr. de lucr. marit. & uxor. cap. 7. num. 2.* Joach. Schepliz. *in cons. Brandeb. part. 3. tit. 2. §. 3. num. 8.* Gutierrez. *lib. 2. pract. 127. num. 3.* Wibel. *tr. de contract. mulier. cap. 5. num. 132. & seq.* Fallit † tamen hoc, si uxor unà cum marito, legitimo modo, alteri, vel simpliciter, vel in solidum sese obligavit; tunc enim jus creditori quæsitum, eidem invito uxoris renunciatione, auferri non potest. *l. Id quod nostrum ff. de R. J. l. debitorum pactionibus. Cod. de pact.* Ab initio † libera potestas unicuique est habendi contractus; sed renunciare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. *l. 5. de O. & A.* Neque † novum est, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. *l. in ambiguis 85. §. 1. de R. J.* Chassanæ. *in Consuet. Burgund. rubr. 4. §. 13. vers. sed quæro.* Joan. Grivell. *decis. 20. num. 4. & seq.* ubi *num. 5. in fin.* Senatum dolanum ita judicasse, refert; Sanz. *de bon. divis. lib. 2. cap. 17. num. 8.* Nicol. à Valla. *de reb. dubiis tr. 13. n. 10.* ibi: *si ipsa contraxit non eximitur ab obligatione per renun-*

1.

Si uxor lucris renunciavit.

2.

3.

4.

5.

renunciationem. vid Besold. *ad J.P.W. disp. 4. th. 27.* ibi: *ac etiam tunc* (cum scilicet renunciavit, de hoc enim in præcedenti th. egit)
6. ad communia debita adstringitur. Quibus † non refragatur Würt. Landr. *p. 1. tit. 76.* §. nicht weniger/quippe qui loquitur de eo casu, quo maritus est debitor. ibi: nicht weniger sollen auch von solcher Cession ausgenommen seyn deß abtretenden Schuldners
7. Haußfrauen/ꝛc. Sed † uxor. quæ ipsa sese legitimo modo obliga-
8. vit, per illum §. obligatione sua non eximitur. Uxorem † tamen, quæ hujusmodi creditori aliquid de suo solvit, illud à marito & ejus heredibus, ad quos tunc omne id, cujus gratia debitum illud contractum perveniſſe censetur, repetere posse, tradit Gri-
9. vell. *d. decis. 20. num. 16. & 17.* nisi † aliquid in proprium uxoris patrimonium perveniſſe probetur. vid. Grivell. *d. dec. 20. num. 10.*
10. *16. & 17.* Item *num. 18. & seqq.* ubi † uxorem nec in integrum restitutionem, vel ob sexus imbecillitatem vel ob metum reverentialem, contra hujusmodi obligationem impetrare posse defendit. vid. Besold. *ad J.P. W. disput. 2. thes.* 150. ne scilicet multi, qui fidem amborum, mariti scilicet & uxoris, secuti, decipiantur, & jure suo defraudentur. Grivell. *d. decis. num. 12.* Nisi ipsa †
11. uxor ætate sit minor, & alia adsint, quæ ad hujusmodi restitutionem sunt necessaria; Grivell. *d. decis. 20. num. 24. & seqq.* aut justus probetur metus. Grivell. *d. decis. num. 28.*

§. LIX.

1. Si æs alienum in hac societate conjugali ab utroque conjugum contractum non est sociale, tunc an idem dicendum sit, quod in præcedentibus de sociali dictum, nunc erit explicandum. Primum † hoc videtur affirmandum, per textum in Würt. Landr. *p. 4. t. 4.* §. Nemlich. ubi indefinitè traditur, quod æs alienum constante matrimonio ab utroque conjugum contractum, dicto modo sit solvendum. Et † in *l. 27. ff. pro soc.* generaliter quoque dicitur, quod omne æs alienum, quod manente societate contractum est, de communi sit solvendum.

De hujusmodi ære alieno non sociale.

2.

3.

4. Verum † hoc de debitis socialibus intelligendum esse, colligimus ex *l. 12. pro soc. & pr. part. 2. tit. 29.* Wüttemb. Landr. quod expresse etiam tradunt Antecessores hujus Universitatis in *vol. 3. Consil. Tubing. 92. num. 54.* Gutierrez. *lib. 2. quæst. pract. 129. n. 1.* ibi:

illa

illa demum debita constante matrimonio contracta, esse communia, & ideo solvenda ex bonis multiplicatis & acquisitis eodem matrimonio durante, quæ resficiunt viri & uxoris matrimonium & societatem. vid. Felic. *de Societ. cap. 27. n. 1.*

Quoad hoc † autem æs alienum non sociale videndum, an in causam & utilitatem viri tantùm, an vero uxoris tantum sit contractum. Priori † in casu v. gr. Si maritus & uxor, constante matrimonio, mutuam acceperunt pecuniam, ad æs alienum mariti in matrimonium illatum solvendum; & simul in uno instrumento ad illud solvendum, vel simpliciter, vel singuli in solidum sese obligarunt, solus maritus inde obligatur; uxoris vero obligatio est ipso jure nulla; quia uxor hoc in casu revera pro marito intercessit, contra novam constitutionem, *auth. si qua mulier. C. de SCto Vellej.* W. Lauterb. *part. 2. tit. 29. pr.* Antecessores hujus Universitatis *apud Besold. vol. 3. Cons. 92. n. 22. & seqq.* Joan à Sange *lib. 2. tit. 5. def. 8. vers. sumaritus.* & per consequens hoc debitum neque ex acquæstu conjugali, neque ex utriusque bonis propriis, sed ex solius mariti bonis est solvendum. *d. Consil. Tubing. 92.* Nam † hoc debitum non societatis causa est contractum, & non est æs alienum societatis; eapropter in illo jus commune, hac in parte jure Würtembergico approbatum, per inde est observandum, ac si nulla esset inter conjuges bonorum societas.

5. 6. *Mariti gratia tantum.* 7.

§. LX.

Si vero in rem & utilitatem uxoris tantum, hujusmodi æs alienum ab utroque conjugum est contractum, v. g. ad uxoris debita allata vel propria solvenda, vel ad ejus ædes ruinosas reficiendas, aut filias ipsius prioris matrimonii dotandas & elocandas; tunc † sive simpliciter, sive singuli in solidum sese obligaverint, valet ratione creditoris utriusque, etiam mariti obligatio; quippe pro uxore, & ejus proprio debito, sese obligare non prohibetur. Sed † si maritus à creditore conventus vel ex acquæstu, vel ex propriis, suis bonis, eidem debitum, vel ejus partem solvit postea illius nomine satisfactio ab uxore vel ejus heredibus peti potest. vid. Carpzov. *part. 2. const. 17. def. 14.* Anton. Fab. *in C. tit. de duob. reis. def. 1.* Bach. *ad π. Wes. d. t.*

1. *Vel uxoris causa tantum contracto.* 2. 3.

§. LXI.

1. Si † æs alienum à marito & uxore, durante matrimonio est contractum, & creditor illud sociale esse affirmat, uxor verò hoc negat, sed illud non sociale esse contendit, creditori suæ assertionis & intentionis probatio incumbit; *arg. l. 2. & l. 21. ff. de probat.* quæ † tamen difficilis haut est. Probata enim æris alieni causâ, facile inde cognosci poterit, an sit societatis, & societatem respiciat, an verò mariti vel uxoris sit propria: Sic † si maritus & uxor, constante matrimonio, ædes, vineas vel agrum aut alium fundum emerent, & sese ad ejus pretium solvendum obligarunt: statim inde constat, societatis hoc esse debitum; quia ædes & fundi empti societati & acquæstui conjugali cedunt, & communes fiunt, per superius dicta; ergò etiam ejus debitum rectè societatis esse dicitur. Idem † dicendum, si pro filia communi dotem promiserunt, aut ad filiam dotandam, aut ad communes ædes ruinosas reficiendas mutuam pecuniam acceperunt, quia hæ causæ omnes societatis sunt, per ea, quæ in præcedenti cap. 3. dicta.

Quis probare teneatur, debitum sociale esse.

§. LXII.

1. An verò illis in casibus, quibus maritus & uxor, ob causam societatis in specie vel in genere expressam, v. gr. zu unser und der unsertigen gemeinen Nutzen/zu Bezahlung unsers erkaufften Hauses/zu Ausstewrung unserer Tochter/ꝛc. mutuam acceperunt pecuniam, & in uno instrumento pro illo sese obligarunt, creditor etiam versionem in rem & utilitatem societatis, atque pecuniam etiam in ejusmodi causam communem impensam esse, probare debeat, non satis expeditum est.

An versio in rem societatis probanda.

2. Si † inter conjuges semel in uno instrumento sese obligantes, nulla est bonorum societas, quod tunc creditor versionem in rem & utilitatem uxoris probare teneatur, &, illo non probato, uxoris obligatio sit ipso jure nulla, extra controversiam est.

3. Quia † tunc pecunia versa præsumitur in utilitatem mariti, tanquam potentioris; cui omnia ab ipso, constante matrimonio, quæsita cedunt. *arg. Nov. 134. cap. 8. auth. si qua mulier. C. ad SCt. Vellej.* Brunnemann. Baraos. Richter. & Dd. communiter ad *d. auth. si qua mulier C. ad SCt. Vellej.* Gail. 2 *Obs. 89.* Carpzov. *J. F. P. 2. const. 16. def. 4.* Wibel. *tr. de concr. mulier. cap. 5. n. 43. & seqq.*

Verùm

Verùm † ubi inter hujusmodi conjuges simul mutuam pecuniam accipientes, est bonorum societas, an idem dicendum, hoc; uti dictum, non satis est expeditum. Affirmat † hoc Besold. *ad J. P. W. disput. 4. th. 27. ibi: & tunc incumbit probatio creditori, cum sit fundamentum suæ intentionis*, quem sequitur Wibel. *d. tr. cap. 5. num. 131.* pro quibus facere videtur, W. Landr. *part. 2. tit. 29. pr.* Sed † contrarium defendunt, & hujusmodi in casu pecuniam in rem communem & augmentum ac tuitionem societatis communis versam præsumi, docent Grivell. *decis. 20. num. 3. ubi in fine Senatum Dolosanum sæpius ita judicasse refert.* Tuld. *in Cod. tit. ad SCt. Vellej. num. 6. ibi: excipe, ubi consuetudo introduxit communionem.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 22. num. 11.* Hunn. *in Encyclop. Jur. part. 2. tit. 5. cap. 10. num. 27.* Caspar. Roderic. *tract. de annuis reditib. lib. 2. quæst. 5. n. 20.* 4. 5. 6.

Nos, † hanc posteriorem sententiam de jure veriorem esse, existimamus. Licet enim, etiam contracta conjugali bonorum societate, Maritus sit Rex & Caput familiæ suæ, & princeps bonorum administrator: quia † tamen in dubio non præsumendum, inutiliter pecuniam illam consumpsisse, sed utiliter potius illas expendisse credendum est. *arg. l. 25. ff. de probat. l. 51. ff. pro soc.* & † maritus quicquid constante matrimonio sua opera & industria, negotiando & contrahendo, acquirit, illud omne societati & acquæstui conjugali cedit: eapropter † quicquid maritus constante matrimonio utiliter expendit, illud in dubio in communem utilitatem expendisse præsumitur. Præterea † cum uxor hic tanquam socia cum marito in rem communem contraxit, & pecuniam accepit, atq; sic quoad suam partem non contra juris prohibitionem pro alio intercessit, sed firmiter inde est obligata, ita ut neque beneficio SCt. Vellej. neque novæ constitutionis adjuvetur; *l. 17. §. fin. ff. ad SCt. vell. q. Grivell. d. def. 20. n. 1. & seqq.* ac † per consequens, creditor exinde adversus illam agens, fundamentum intentionis suæ ponat, non in versione in rem uxoris, sed in hujusmodi contractu à marito & uxore, tanquam sociis, in rem communem inito; *d. l. 17. §. fin.* proinde † ipse quoque actualem versionem in rem uxoris probare non cogitur. *arg. d. l. 17. §. fin.* ibi: *cum in rem communem mutuarentur junct. l. 27. pr.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

14. *pr. ff. ad SCt. vellej. l. 13. C. eod.* maxime † cum regulariter nemo teneatur esse sollicitus, ut res vel pecunia convertatur in utilitatem ejus, cum quo contraxit, nisi in casibus à jure expressis. Alphons. *de Olea tr. de cession. jur. & Action. tit. 4. q. 8. num. 32.* & so-
15. cii † ex communi contractu teneantur, licet res vel pecunia in communem arcam versa non probetur. *vid. l. 82. pro soc.* Neque
16. † huic sententiæ refragatur. Würt. Landr. *p. 2. tit. 29. princ. pag. 317.* quippe quod loquitur de casu, quo uxor pro marito, propter illius debita & negotia sese obligat; non verò de eo casu, quo uxor cum marito, & sic utrique tanquam socii, communi consensu, in communem societatis causam contrahunt & sese obligant; hujusmodi enim casum, ipsum jus Würtembergi cum excipit *in d. pr. ibi:* Es wäre dann/ daß sie es aus freyem/ gantz ungezwungenem Willen und gemeiner Haußhaltung zu gutem thäte / solches
17. auch vor Gericht genugsamlich erscheinte. Ubi † notandum, quod hujusmodi in casu, hoc saltem requiratur, ut uxor in communem causam & utilitatem sese sponte obligaverit, & hoc in judicio appareat, quod scilicet sponte in communem utilitatem & causam sese obligaverit; quod autem hujusmodi in casu ibidem excepto, creditor etiam versionem in rem uxoris probare teneatur, ibidem non dicitur; sed hoc saltem requiritur in casu principaliter ibi proposito, à quo nostet casus excipitur.

CAPUT V.

DE ÆRE ALIENO IN SOCIETATE CONJUGALI AB UNO CONJUGUM CONTRACTO, SOLVENDO.

§. LXIII.

1. SI in societate conjugali æs alienum non uterque conjugum, sed unus illorum tantum contraxit, tunc videndum, an maritus, an vero uxor illud fecerit. Si maritus, † iterum distinguendum an debitum sit sociale, an verò non sociale. Si sociale, tunc ex acquæstu conjugali, & illo deficiente, ex aliis utriusque bonis propriis, æqualiter est solvendum, perinde ac si ab utroque contractum fuisset. *arg. §. wo aber §. da nun/ & seqq. part. 4. tit. 4.* Würt. Landr. Besold. *ad † P. W. disp. 4. th. 19. in fin.* ibi: *licet solus ma-*

2. *Si maritus illud contraxit, & quidem ex causa Societatis.*

maritus contrahit debitum. Lopez. *tr. de lucr. mar. & ux. cap. 10. num. 2.* ibi: *quod licet solus maritus contrahat debitum, nihilominus uxor tenebitur ad medietatem de biti.* Sanz. *de bonor. divis. 2. cap. 17. n. 3.* Grivell. *decis. 13. n. 2.*

Maritus † enim sicuti est familiæ suæ Princeps: ita etiam hujus societatis matrimonii & familiæ gratia contractæ, principalis est administrator, W. Landr. *p. 3. tit. 7. §.* was dann ibi: als dem die administration und Verwaltung darinnen gebührt. Roder. Suarez. *tr. de lucr. marit. & uxor. tit. 1. num. 58. fere in fin. vers. præsertim cum constante.* Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap. 9. num. 12.* & communibus societatis bonis, ad illa tuenda, conservanda & augenda, quasi præfectus & præpositus. Lopez. *d. tr. cap. 6. num. 3. pag. mihi 249. fere in med.* 3.

Unde † quicquid sua opera & industria, negotiando & contrahendo, durante hac societate acquirit, illud etiam uxori pro parte communicatur & acquiritur, ita ut ipsa quoque pro sua parte, indivisa tamen, illius & possessionem & dominium consequatur, sine corporali traditione uxori facta. vid. Würtemb. Landr. *part. 3. tit. 7. §.* Wann Eheleut. ibi: solle an allen in wehrender Ehe errungenen und gewonnenen Gütern, jedem Ehegemächt der halbe Theil zugehörig seyn. *& seq. §.* was dann ibi: sambt ob vermeltem seinem Theil errungens und gewonnens, ꝛc & paulo post: ungeacht das Weib von dem Ihrigen ꝛc. vid. §. *Ex his 5. 7. per quas person. nob. acquir. l. 13. l. 20. § f. ff. de Acquir. Rer. Dom. l. 9. §. 3. vers. quid enim interest. ff. de jur. dot.* quod etiam Frisiorum Ordines speciali statuto approbarunt, Joan à Sand. *lib. 2. decis. Frisic. tit. 5. def. 6.* Grivell. *decis. 65. num. 6. & seqq.* item *decis. 114. num. 23. & seqq.* Didac. à Segura. *tr. de lucr. mar. & uxor. num. 44.* ibi: *in continenti uxor habet dominium medietatis illorum bonorum: licet maritus possit vendere omnia illa lucra pro parte utriusque, & nn. seqq.* vid. tamen Besold. *ad J. P. W. disp. 4. th. 29.* ibi: *Nec puto tamen, quod uxor illico habeat dominium, &c.* 4.

Atque † hoc, in hac conjugali societate, secundum mores ubique fere receptos, verum esse putant, licet maritus non societatis, sed proprio nomine contraxerit, & aliquid, quod aliàs secundum naturam hujus societatis ad illam pertinet, acceperit. 5.

Grivell. *d. decis. 65. num. 8. decis. 114. num. 41.* Lopez. *de lucr. mar. & uxor. cap. 6. num. 3. pag. 249. in fin.* Didac à Segura *in rep. l. 3. §. ult. ff. de liber. & posthum. num. 78.* vid. *disput. supra alleg. de Societat. conjug. cap. 5. §. 5.* facit huc *d. §.* Wann Eheleut. *& §. seq.* Würt. Landr. *pag. 350.* quod de jure communi secus est. *l. 74. ff. pro soc. l. 13. l. 20. §. fin. ff. de A. R. D.*

6. Cum † itaque maritus sit hujus societatis quasi præpositus, & ex ejus contractibus uxori quoque dicto modo acquiratur; æquum judicatur, ut, si maritus in causa, quæ ad societatem spectat, contrahit, & exinde alteri aliquid debetur, debitum quoque illud fiat commune, ita ut uxor quoque ad illud obligetur. *arg. l. 1. & t. t. de instit. act. l. 29. de R. C. l. 17. §. ult. de instit. act. l. ult. ff. pro soc. §. ult. J. quod cum eo, qui in alien. potest.* Joan. à Sande. *lib. 2. tit. 5. def. 8. vers. porro damni in fin.* Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap. 10. n. 2.* Grivell. *dec. 65.*

7. Idque † licet in contractu maritus nullam uxoris vel societatis conjugalis mentionem fecerit, sed suo tantum nomine, de re tamen, quæ ad societatem pertinet, vel ei cedit & acquiritur, contraxerit. Lopez. *d. l.* Cum enim inde quæsitum, statim commune fiat, per superius dicta, atque sic in communem societatis arcam illatum videatur; proinde uxor socia quoque inde rectè obligatur. *arg. l. 82. ff. pro soc.* vid. *d. disput. de oblig. socior. cap. 5. §. 45.* vid. tamen Ludov. de Casanate. *Consil. 30. n. 16.* vid. etiam Rodenb. *de jure, quod oritur ex statutor. diversit. tit. 4. cap. 1. n. 7. vers. Palam est.*

8. Imò † licet maritus contradicente uxore in causa societatis contraxerit, tamen illam inde quoque obligari, docet Rodenburg. *de jur. conjug. tit. 3. cap. 1. num. 11.* contra Petr. Barbos. *in l. 1. ff. sol. matrim. part. 3. num. 62. & 63.* Joan. à Sand. *d. lib. 2. tit. 8. def. 8.*

9. *vers. si mulier expresse contradixerit.* Si † tamen uxor expressè sese declaret, quod ex illa mariti negotiatione nullum participare velit lucrum, tunc ipsam exinde non obligari, tradit Lopez. *tr. de lucr. mar. & uxor. cap. 7. n. 1.*

§. LXIV.

1. Etsi † autem de jure communi, socio societati præfecto societatis nomine, & secundum præpositionis legem, contrahente, & so-

& ſocius contrahens & ſocius præponens; atque ſic uterque inde in ſolidum obligetur. *l.* 4. §. 1. *ff. de Exerc. act. l.* 13. §. *ult. ff. de inſtit. act. d. diſput. d. oblig. ſoc. cap.* 6. §. 55. Uxorem † tamen ex contractu mariti ſocietati quaſi præfecti, tantum pro dimidia parte teneri, tradit Joan à Sande *d. def.* 8. *verſ. porro damni.* Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap.* 10. *num.* 2. Grivell. *deciſ.* 13. *num.* 2. ibi: *imò ſi ſolus maritus debitum contrahit, uxor nihilominus tenetur ad dimidiam partem.* vid. *d. diſput. de ſociorum obligatione, cap.* 5. §. 46. 2.

Contra † maritum verò, ejusque heredes, creditori ex illius contractu datur actio in ſolidum, licet ſuo & uxoris, aut conjugalis ſocietatis nomine contraxerit, *arg. l.* 4. §. 1. *ff. de Exercit. act.* Joan. à Sand. *d. lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 8. *verſ. porro damni:* ibi: *Sin ſolutum non eſt, creditor actionem in eum, cum quo contraxit habet in ſolidum,* vid. Paul. Chriſtinæ. *vol.* 1. *deciſ.* 165. *num.* 4. & 6. Rot. Genuens. *deciſ.* 13. *num.* 10. *deciſ.* 29. *num.* 3. Si † tamen maritus vel ejus heredes, de ſuo ſolidum ſolvunt, partem ab uxore vel ejus herede recuperare poſſunt. Joan. à Sand. *d. l.* ibi: *aut ſi ab uno ſolutum fuit, ejus pars alteri imputanda in judicio communi dividundo, arg. l.* 3. *C. de Neg. geſt. l.* 25. §. 13. *ff. famil. erciſc.* 3. 4.

§. LXV.

Et hæc obtinent, ſi æs alienum à marito conſtante matrimonio contractum eſt ſociale, & ob cauſam, quæ ad ſocietatem ſpectat, eſt factum: Si † verò non eſt ſociale, tunc neque ex communi acquæſtu, neque ex propriis utriusque conjugis bonis, æqualiter, ſed ex ſolius mariti bonis, propriis eſt ſolvendum; neque uxor illius nomine ad aliquid obligatur. Würt. Landr. *p.* 4. *tit.* 4. §. wo aber ſelbige Schulden nicht von beeden / ſondern allein dem einen Ehegemächt / mit ſeinem verthoniſchen / zehrhafften / prächtigen und unnützen Weſen / oder ſträfflichen Handlungen und dergleichen Exceſſen, ohne des andern Ehegemächts zuthun / verurſacht / ſollen ſolche Schulden nicht von dem gemeinen Errungenem / ſondern deß jenigen Ehegemächts / welches berührte Schulden allein verurſacht / (ohne Unterſcheid / es ſeye der Verſtorben oder Uberlebend) Angebührnus deß Errungnen und Gewunnenen: und wo ſich daſſelb ſo weit nicht erſtreckt / von deſſelben Ehegemächts übrigem eignen Gut (ohne allen Nachtheil des andern Ehegemächts) bezahlt werden. 1. 2. *Si non eſt ſociale.*

Nam

3. Nam † maritus huic societati & communibus societatis bonis est præfectus & præpositus, ad illa tuenda, conservanda &
4. augenda. Quando † itaque per luxum & prodigalitatem æs alienum contrahit, non servat legem præpositionis, & per consequens uxor socia inde non obligatur nec partem illius debiti ferre tenetur. *arg. l. 5. §. 11. l. 11. §. 5. ff. de instit. act.* vid. Alvar. Valasc. *decis. 98. num. 3. fere in fin.* Nical. Everhard. Junior. *vol. 2. Cons. 27.*
5. Berl. *p. 2. dec. 252. num. 8.* nisi † maritus uxorem prodigalitatis & luxus sociam habuerit. Hoc enim in casu, etiam hujusmodi debitum per se non sociale, ex communi conjugum acquæstu, vel in illius defectum, ex aliis utriusque bonis propriis æqualiter est solvendum. *arg. d. §.* W. Landr. *pag. 427.* ibi: ohne des andern Ehegemächts zuthun. *arg. l. 55. l 82. ff. pro soc. junct. l. 3. §. 6. ff. de in rem vers.* vid. Grœneweg. *ad tit. C. ne ux. pro mar. ubi num. 1.* scribit: *Tanta est apud nos martialis potestas ut hodiernis moribus uxor ejusque hæredes, ex quocunque mariti contractu pro dimidia parte conventri possit; adeoque & exparte teneatur ad dissolutionem æris alieni, quod maritus prodigilitate sua, ac vita dissoluta, contraxit.*

§. LXVI.

1. Idem dicendum, si maritus ad proprium æs alienum solvendum, ad proprias ædes ruinosas reficiendas, ad proprios liberos prioris matrimonii dotandos & elocandos, atque ob similes causas societatem non respicientes, æs alienum, constante matrimonio, contraxit; hoc † enim omne, tanquam non sociale,
2. non ex societatis, & utriusque, sed propriis mariti bonis est solvendum, & ipse maritus solus illius nomine est obligatus. *arg. t. t. ne ux. pro mar.* W. Landr. *p. 2, tit. 29. pr. part. 4. tit. 4. §.* nehmlich *& seqq.* Anteceſiores hujus Universit. *vol. 3. Cons. Tubing. 92. num. 54 & num. 70. in fin.* ibi: *eaque solum damna cum uxore communia sunt, quæ communis acquæstus vel rei domesticæ ratione conjuges incurrunt.* Georg. Everhard. *vol. 1. Consil. 63. num. 21.* ubi tradit, *statutum sanciens, ut omne æs alienum conjugum de communi sit solvendum, verum esse quoad debita contracta, durante societate, & causa illius societatis.*

§. LXVII.

1. Si verò maritus in causam societatis contraxisset, v. gr. pecuniam

niam ad communem filiam dotandam, aut ad pretium fundi empti solvendum, mutuam accepisset, illam vero non in causam societatis, sed propriam tantum utilitatem, v.gr. suum æs alienum solvendo, expendisset, aut ludendo, heluando, vel alio prodigalitatis modo perdidisset; tunc † si causa vertitur inter 2.
maritum & uxorem, aut illorum heredes, nullum est dubium, quin ipse maritus solus de suo illud præstare teneatur, & ejus nomine ex communi societatis massa nihil accipere possit. *l. 59. §. 1. ff. pro soc. arg. §. ult.* Würt. Landr. *p. 4. tit. 4.*

Verum † quando causa agitur inter hujusmodi creditorem 3.
& conjuges, & quæstio est, an non creditor petere & impetrare possit, ut ipsi satisfiat, & hoc debitum tanquam sociale, & societatis causa contractum, solvatur ex communi conjugum acquæstu, & in ejus defectum, ex aliis utriusque bonis propriis æqualiter, hoc omninò dubium est. Nobis hic † distinguendum 4.
esse videtur, an creditor tempore contractus vel numerationis sciverit, virum pecuniam profusurum: vel male consumpturum, vel in rem propriam aut alianam impensurum; aut alia ratione in culpa sit; an verò hoc ignoraverit & omni culpa careat. Priori † in casu, certum est, creditorem ex communibus so- 5.
cietatis bonis nihil petre posse. *arg. l. 11. §. 4. in fin.* ibi: *nisi particeps doli fuit, qui contraxit. ff. de instit. act. l. ult. ff. de Exerc. act.* vid. Grivell. *dec. 20. n. 26.*

Posteriori † verò in casu, dicendum videtur, quod hæc credi- 6.
toris petitio justa & valida sit, ita ut hic mariti societatis administratoris & comunibus societatis bonis præfecti dolus, uxori magis, quàm creditori, qui bona fide cum marito contraxit, & uxoris quoque personam, & ad communia societatis conjugalis, cujus gratia pecunia est accepta, bona respexit. *arg. l. 11. §. 4. ff. de instit. act. l. 1. §. 9. & l. ult. ff. de Exercit. action. l. 5. pr. ff. de tribut. act. arg. l. 10. C. de procurrat.* Joan. à Sande. *lib. 2. tit. 5. def. 8. vers. si maritus.* vid. Rot. Genuens. *decis. 14. num. 17. & 125.* Mar. Giurb. *decis. 88. n. 10.* Joan. Baptist. Costa. *tr. de quot. & rata. q. 43. n. 8.*

§. LXVIII.

Ex dictis etiam apparet, nec, hujusmodi in casu, creditorem 1.
agentem & petentem, ut debitum à marito constante matri-

monio, societatis causa contractum, ex communi acquæstu, vel ex aliis conjugum bonis propriis æqualiter solvatur, teneri, ut probet pecuniam & rem à marito acceptam versam esse in utilitatem societatis & utriusque conjugis, *arg. dd. ll.* vid. *disp. de*
5. *socior. obligat. cap. ult.* §. 58. Nemo † enim probatione illius, quod ad suam intentionem fundandam & obtinendam non esse necessarium, onerari debet, *arg. l. 21. C. de probat.*

Sufficit itaque, si creditor probat, maritum constante matrimonio societatis causa pecuniam accepisse, & debitum societatis causa contractum esse. Joan à Sand. *d. l.*

§. LXIX.

1. Ex dictis sua sponte quoque sequitur, si maritus societatis causa & in ejus utilitatem æs alienum contraxit, licet eventus non responderit, & pro sperato lucro damnum inde secutum fuerit, quod tamen creditor ex acquæstu, vel illo deficiente, ex aliis conjugum bonis propriis satisfactionem jure petere va-
2. leat; *arg. dd. ll. arg. l. 10.* §. 1. *ff. de N. G.* idque † sive hoc casu fortuito evenerit, sive mariti culpa & imprudentia damnum illud acciderit; *arg. d. l. 19. C. de procurat. l. 11.* §. 4. *de Instit. act.* quamvis
3. † hoc in casu uxor contra maritum vel ejus heredes, ob illius culpam, suum habeat regressum. *arg. l. 72. ff. pro soc. l. 20. ff. com. divid. arg.* §. *ult.* W. Landr. *pag. 4. tit. 4.* Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap.*
4. *10. n. 70. in fin.* Neque † dictis obstar, quod Besoldus, *ad 7. P. IV. disp. 4. th. 13.* scribit: *debita si culpa unius sint contracta, communia acquisitæ non minuere*; nam hoc accipiendum de delitio unius delicto contracto; de hoc enim loquitur Segura & Lopez. ibidem à Besoldo allegati.

§. LXX.

1. Cæterum si maritus plane insolitam, periculosam, & conditioni atque professioni suæ non convenientem, atque omnium sanorum judicio damnosam susciperet negotiationem, vel fundum emeret manifesto onerosum contra uxoris & Amicorum consilium & dehortationem, eoque æs alienum contraheret, licet hoc etiam in comunem societatis utilitatem sese face-
2. re prætenderet, debitum tamen † illud non ex communi solvendum, nec uxorem exinde obligatam esse propterea putamus, quod maritus hic limites & terminos præpositionis excessisse

videa-

videatur. *arg. l. 5. §. 11. l. 11. §. 5. de instit. act.* quo etiam facere videtur, W. L. *p. 4. tit. 4. §.* wo aber selbige: ibi: und unnützen Wesen. *pag. 437.*

§. LXXI.

Quæ † hactenus in hoc capite dicta, quod sc. mulier teneatur æs alienum à solo marito, constante matrimonio, ob causam societatis contractam, pro dimidia parte, indefectum acquæstus conjugalis, etiam ex suis propriis bonis solvere, illud procedit, nisi † ipsa conjugali acquæstui renunciet, & ab hujusmodi lucris obstineat. Si † enim uxor, v. gr. marito mortuô, acquæstui conjugali renunciat, liberatur, ipsa ære alieno à marito ex causa societatis contracto, secundum mores ubique fere receptos; ita † ut dotem suam, & omnia sua bona propria repetere & sibi retinere possit integra. Nicol. à Valla *de reb. dub. tract. 13. num. 10.* ubi scribit: *Quid ergo, si uxor renunciet societati post mortem mariti, an teneatur? Si ipsa contraxit, non eximitur ab obligatione per renunciationem. Secus si ex vi consuetudinis tantum tenetur: quia sic, ut hujus potestate efficitur particeps lucri & damni, ita & renunciando societati, neque lucrum neque damnum sentire debet.* Lopez. *de lucr. mar. & ux. c. 7. n. 2. cap. 10. n. 2. v. predicta sane sunt intelligenda, nisi forsan uxor velit abstinere à lucris.* Christinæ. *vol. 1. dec. 206. num. 13.* ibi: *Et proinde, etiam mulier mortuo marito tenetur renunciare communioni consuetudinariæ mobilium & conquisitorum, si evitare velit onus æris alieni.* Grivell. *dec. 13. num. 2.* ibi: *nec ab illius obligationis nexu ullo modo liberatur, nisi expresse renunciaverit hujusmodi lucris & conquæstibus.* Petr. Sanz. *de bon. divis. 2. cap. num. 26.* Chassanæ. *ad consuet. Burgund. rubr. 4. §. 12. & 13. §. 19. verb. faire la renunciation*, ubi etiam marito vivente hoc fieri posse addit. Gerstas *de acquæst. conj. num. 155.* Schepliz. *de consuetud. Marchic. part. 3. tit. 2. §. 3. num. 3.* Caspar. Roderic. *de annuis redit. lib. 2. quæst. 5. num. 20.* ibi: *Posset tamen prior opinio sustineri, quando uxor acceptasset bona constante matrimonio quæsita: nam tunc præsumeretur pecuniæ ad utrumque conjugum pervenisse, & uterque pro dimidia teneretur.* Antecessores hujus Universitatis, *vol. 3. Consil. Tubing. 92. num. 5. & seqq.* ubi hanc communem esse traditionem scribunt, quod in casu statuti, vigore cujus lucra & damne conjugalia dividuntur, nihilominus soluto matrimonio

1. *De renunciatione acquæstus ab uxore facta.*
2.
3.
4.

uxor abstinere à lucris constante matrimonio habitis, possit, ita ut nec ad debita constante matrimonio contracta teneatur. Besold. *ad J. P. W. disp. 4. th. 26.* Wibel. *de contract. mulier. cap. 5. num. 132. & 33.* quo facere videtur W. Landr. *p. 1. tit. 70.* §. Nicht weniger. quod † ipsum tamen non omnibus in locis obtinet. Sic Ultrajecti, per loci legem se non aliter mulier eodem exonerat, quam si universis cesserit bonis & facultatibus, ac ignominioso hoc actu defungatur, ut propalam eo ipso tempore, cum funus effertur, domo antea exeat, vestibus induta quotidianis. Rodenb. *de jure quod oritur ex statutor. divers. tit. 4. cap. 1. num. 7.* ubi *seq. n.* rationem addit.

6. In aliis † quoque locis dicta renunciatio, ad effectum liberationis ab ære alieno, non admittitur, si uxor sua ignavia, luxu & prodigalitate mariti censum consumpsit & dissipavit; Nam,

Fœmina iners animal facili congesta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

7. Alciat *Emblem. 19.* & † postea miseros creditores, quorum pecuniam ipsa quoque deglutivit, vel in sumptus inutiles prodegit, hac renunciatione & dotis suæ, atque allatorum repetitione defraudare contendit. W. Landr. *p. 1. tit. 76.* §. Nicht weniger ibi: So fern sie anderst an ihres Manns Verderben unschuldig. vid. Grivell. *decis. 20. num. 22. & seq.* Præterea † uxoris renunciationem rejiciunt, si ipsa aliquid subtraxisse vel amovisse probatur. Christinæ. *d. dec. 206. n. 14.*

8.

§. LXXII.

1. Dictæ † renunciationi quibusdam in locis certus modus, cer-
2. taque forma est præscripta: Sic † moribus urbis Dolæ post mortem mariti, si uxor acquæstui vult renunciare, & ab hujusmodi ære alieno sese liberare, facere hoc debet statim, antequam mariti corpus è domo extrahatur, præsente Judice, Notario & te-
3. stibus. Grivell. *d. decis. 13. n. 2.* Hispani † uxori concedunt centum dies ad deliberandum, nunc acceptare vel repudiare velit lucrum hujusmodi sociale. Lopez. *d. c. 10. n. 3. vers. prædicta.* quod
4. † tamen Judex interdum restringit, & tantum spatium decem
5. dierum concedit. Gutierrez. *l. 2. quæst. pract. 126. n. 4.* In hoc ducatu, ut post mortem mariti uxor ab hujusmodi ære alieno sese libe-

liberare possit, requiritur, ut mariti hereditatem repudiet, & nullam hereditatis mariti partem accipiat. *arg. tit. 4. & 5. part. 4.* W. Landr. Besold. *d. th. 26.* Wibel. *d. l. 5. n. 132.*

§. LXXIII.

Potestas lucris nuptialibus renunciandi, eoque sese ab hujusmodi ære alieno liberandi, non tantùm ipsi uxori, sed etiam post ejus mortem ipsius heredibus concedunt. Lopez. *d. cap. 10. num. 2.* Grivell. *decis. 13. & alii supra citati Dd.* Renunciatione † autem, vel lucrorum acceptatione semel ab uxore vel ejus heredibus factâ, amplius non locum habet pœnitentia. Gutierrez. *d. quæst. 126. n. 4. in fin.* Lopez. *d. cap. 10. n. 3.*

1. *De renunciatione heredum.*

2.

§. LXXIV.

Hactenus de ære alieno à Marito contracto. Uxor si æs alienum, constante matrimonio, sive in hac societate bonorum conjugali contraxit, eadem distinctio adhibenda venit, an illud sit sociale, an verò non sociale. Si † est sociale, idem dicendum, quod de sociali à marito, durante hac societate contracto dictum, nimirum illud quoque primùm ex acquæstu conjugali, & illo deficiente, ex aliis conjugum bonis propriis solvendum esse æqualiter, sive ex æquis portionibus. *arg. §. Wo aber. part. 4. tit. 4.* Würtemb. Landr. Petr. Sanz. *de bonor. divis. 2. cap. 12. n. 3.* ibi: *& similiter debitum ab uxore constante matrimonio legitimè contractum est de quæsitis solvendum.*

1. *De ære alieno ab uxore contracto.*

2. *Si est sociale.*

Licet † enim maritus sit principalis hujus societatis administrator, & uxoris officium esse dicatur, ut res à marito partas & in societatem illatas domi custodiat. Aristot. *lib. Oeconom. cap. 3.* ibi: *Et enim natura unum sexum fecit robustiorem, imbecilliorem alterum, ut hic ad custodiendas res propter timorem, hic propter fortitudinem ad propugnandum magis esset idoneus; itemque ut ille fortis parta afferret, hic intus conservaret allata.* vid. Lopez. *de lucr. mar. & ux. cap. 6. n. 2. & 3.* ubi † probat, hanc Uxoris diligentiam custodiariam æque suam lucri partem mereri, ac mariti acquisitoriam, *arg. 1. Regum cap. 30. secundum versic.*

3.

4.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Attamen † non omnis administratoria potestas Uxori est denegata, sed illi quoque aliqua administratio œconomica, maxime

5.

rerum ad victum & amictum pertinentium, ad familiam exhibendam, alendam & sustentandam, est concessa & demandata;
6 cujus † ratione ipsa quoque inprimis absente marito, haut raro necesse habet, ut res necessarias emendo, vel ad illas emendas
7. mutuum accipiendo, æs alienum contrahat; ad quod † restituendum non tantum ipsa, sed etiam ejus maritus æqualiter obligatur; idque quia ipsa res illas in communem arcam intulisse, & hisce rebus & negotiis præposita videtur. Grœneweg. *ad tit. C. neux pro mar. n. 6.* ibi: *nisi in iis, quæ victum & amictum, adeoque & œconomiam ipsi demandatam spectant.* David Mevius *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 165.* ubi scribit: *Si constante matrimonio circa rem rem domesticam, cui forte diligentius, quam maritus præfuit, debita contraxit, quæ ad communes usus vel negotiationem, quam uxor exercuit, spectant, sicuti acquisita marito cedere supra probatum est, ita etiam illius esse onera domestica, præsertim ratione acquisitionis orta, asserendum est, l. 10. de R. J.*

8. Sunt † quidem uxores in cura mariti, ita ut regulariter ipsæ contrahendo, nec sese efficaciter obligare valeant. Würt. Land. *part. 2. tit. 29. §.* Ferner wollen. *pag. 317.* vid. Wibel. *tr. de contr. mulier. cap. 1. num. 36. & seqq.* Verum † cum ipsæ administrationi
9. rei domesticæ, der gemeinen Haußhaltung, à maritis sint præpositæ; simul iisdem, ab ipsis maritis potestas res ad familiæ sustentationem utiles & necessarias comparandi, & illarum emptione æs alienum contrahendi, rectè dicitur concessa; ne aliud dicendo uxores à foro rerum venalium & cura domestica, maximo cum ipsius quoque mariti & totius familiæ damno, arceantur. Rodenburg. *de jur. conjug. tit. 2. cap. 1. n. 21.* Wibel. *d. tr. cap. 4. n. 202.* Dav. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 13. n. 4. & seqq.* Joan
10. à Sande *l. 2. t. 4. def. 4. vers. secundo hæc.* Hinc † quamvis Jus Lubecense nuptis sine maritorum consensu tantum emptionem lini & lintei ad domus necessitatem permittat: ob dictam tamen rationem, ejusdem interpretes, idem de aliis similibus rebus dicendum esse judicarunt, referente Mev. *d. in l.*

11. Si † autem grande æs alienum conflaverit uxer, veluti in

famili

familiam impensura, in judicis est arbitrio, an maritum aut semetipsam obligaverit, rem æstimaturi scilicet viri dignitatem, conjugum opes, aut familiæ numerum. Hinc † cum uxor viri in re lauta versantis, gemmas ac lintea pretiosa coemisset, pretium verò non solvisset, multis visum est, virum solutionem effugere haud posse, maximè, quod sæpiuscule uxorem passus fuerit ejusmodi res pretiosas mercari. Rodenb. *d. l.* ubi monet, hanc † rem ita temperandam esse, ut nec facilè maritus per uxorem ære alieno involvatur, nec damno afficiatur is, qui bona fide contrahens stetit intra illum modum, qui à conditione personarum determinatur cui adstipulatur. Joan à Sand. *l. 2. tit. 4. def. 4. vers. secundò hæc.* 12. 13.

§. LXXV.

Idem tradunt plurimi de uxore, quæ propalam tractat mercimonia in communem societatis utilitatem, ita ut illius quoque gestis mercaturam illam concernentibus, maritus teneatur. Cum † enim uxor mercatur palam, viri id censetur agere voluntate & mandato, tanquam qui ei negotiationi uxorem præposuerit, ut suo vir facto dicendus sit semetipsum adstrinxisse. *arg. l. 18. ff. mandat. l. 1. §. 5. de Exerc. act. l. 7. §. 11. ad SCt. Maced.* Raphaël. *de Turri tr. de Camb. disput. 3. quæst. 7. n. 33.* Joan à Sand. *lib. 2. tit. 4. def. 4.* ubi hoc usu receptum esse scribit. Rodenb. *de jur. conjug. tit. 2. cap. 1. n. 17. & seqq.* post Gomez. & alios Dd. Wibel. *d. tr. de contract. mulier. cap. 4. n. 199. & seqq.* vid. Carpz. *I. F. p. 2. const. 15. def. 14.* Mev. *ad Jus Lubec. part. 1. tit. 10. art. 1. num. 57. & seqq.* Unde † nullam sufficientem videmus rationem, cur non idem in hoc nostro Würtembergico Ducatu, de uxore negotiatrice, quæ palam sciente & patiente marito negotiationem exercet, dicamus. vid. tamen Dn. Wibel. *d. tr. cap. 3. §. 2. n. 15. & seqq.* Besold. *ad I. P. W. disput. 4. th. 27.* Cæterum † si uxor mercatrix vel negotiatrix aliquid gerit fines negotiationis excedens, id nec maritum, nec ipsam obligat, utpote sine curatoris sui legitimi consensu factum AB. Landr. *p. 2. tit. 29. §. ult.* Rodenburg. *d. c. 1. n. 19. in fin.* Wibel. *d. c. 5. n. 200.* Joan à Sand. *lib. 2. tit. 4. def. 4. vers. Caterum.* 1. *De uxore negotiatrice.* 2. 3. 4.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

1. *Si æs alienum non est sociale.*

Si æs alien[illegible] uxore contractum sociale non est, v. g. si ipsa cum consensu mariti hereditatem sibi testamento vel lege ab intestato delatam adierit, & sic sese creditoribus hereditariis vel legatariis obligaverit, aut mutuam pecuniam ad æs illud hereditarium solvendum acceperit, ipsa sola ex suis propriis bonis hoc æs alienum exsolvere tenetur. Idem † dicendum si ipsa ob delictum ac mulctam condemnata fuerit. *arg.* §. Wo aber selbe. *part. 4. tit. 4.* Würt. Landr. *pag. 437.* Joan. à Sand. *l. 2. tit. 4. def. 4. vers. his addi potest.*

2.

Plura nobilissimum hoc argumentum postularet: sed illa addere & dictis ultimam limam adhibere, nobis hac vice non licuit. Benevoli Censoris erit, omissa supplere, & quæ minus commode dicta, suâ prudentiâ corrigere.

SOLI DEO GLORIA.





Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866246925/phys_0074
DFG

videatur. *arg. l. 5. §. 11. l. 11. §. 5. de instit. act.* quo etiam facere videtur. W. l. *p. 4. tit. 4. §.* wo aber selbige: ibi: und unnützen Wesen. *pag. 437.*

§. LXXI.

Quæ † hactenus in hoc capite dicta, quod sc. mulier tene
tur æs alienum à solo marito, constante matrimonio, ob cau
societatis contractam, pro dimidia parte, indefectum ac
stus conjugalis, etiam ex suis propriis bonis solvere, ill
cedit, nisi † ipsa conjugali acquæstui renunciet, & ab
di lucris obstineat. Si † enim uxor, v. gr. marito mor
stui conjugali renunciat, liberatur, ipsa ære alien
causa societatis contracto, secundum mores ub
ptos; ita † ut dotem suam, & omnia sua bona
& sibi retinere possit integra. Nicol. à Valla
num. 10. ubi scribit: *Quid ergo, si uxor renunci*
mariti, an teneatur? Si ipsa contraxit, non exim
nunciationem. Secus si ex vi consuetudinis
ut hujus potestate efficitur particeps lucri &
do societati, neque lucrum neque damnum
mar. & ux. c. 7. n. 2. cap. 10. n. 2. v. pr
forsan uxor velit abstinere à lucris.
13. ibi: *Et proinde, etiam mul*
communioni consuetudmariæ m
onus æris alieni. Grivell. *d*
nis nexu ullo modo liber at
lucris & conquæstibus.
Chassanæ. *ad consuet*
la renunciation, ub
Gerstas *de acquæ*
part. 3. tit. 2. §.
quæst. 5. num.
acceptasset b
retur pecu
midia te
Tubin
tion
d

UB Rostock 051400
the scale towards document

per re-
quia sic,
renunci an-
spez. de lucr.
elligenda, nisi
l. 1. dec. 206. num.
tenetur renunciare
orum, si evitare velit
nec ab illius obligatio-
renunciaverit hujusmodi
bon. divis. 2. cap. num. 26.
4. §. 12. & 13. §. 19. verb. faire
vivente hoc fieri posse addit.
Schepliz. de consuetud. Marchiæ.
r. Roderic. de annuis redit. lib. 2.
amen prior opino sustineri, quando uxor
trimonio quæsita: nam tunc præsume-
conjugum perveniisse, & utrique pro di-
essores hujus Universitatis, vol. 3. Consil.
seqq. ubi hanc communem esse tradi-
quod in casu statuti, vigorre cujus lucra &
dividuntur, nihilominus soluto matrimonio